reses collocaverim, nulla adducta ratione propter quam censeatur merito fuisse damnata, Ecclesiæ Catholicæ definitionem proferam, quæ sola majoris est ponderis quam mille ratiocinationes aut syllogisticæ collectiones. Ex 45. articulis Joannis Vvicleph in Concilio Constantiensi sessione 8. damnatis, multi sunt ad hanc rem pertinentes. Nam vicesimus articulus sic ait: Si quis ingreditur religionem privatam qualemcumque tam possessionatorum quam mendicantium, redditur ineptior & inhabilior ad observationes mandatorum Dei. Vicesimusprimus articulus sic ait: Sancti instituentes religiones privatas, sic instituentes peccaverunt. Vicesimus secundus articulus sic dicit: Religiosi viventes in religionibus privatis, non sunt de religione Christiana. Ad idem pertinent articulus 33. & 44. Hi autem articuli omnes damnati sunt in Concilio Constantiensi sessione 8. Cum ergo sit tam expressa Ecclesiæ definitio non est opus ut monachi pro se pugnent, aut causam iterum ad litem revocent: Et si quis nos ad contentionem vocaverit, melius est non contendere, sed causam pro nobis dictam ostendere. Cæterum de una sola re hic volo admonere lectorem, ut advertat qui sunt ii qui monachatui detrahunt, quoniam nullus umquam monachatui detraxit, nisi homo voluptuosus, illecebris deditus, quales ego sæpe notavi. Et ita sunt tamquam canes in præsepi, prout dicitur in proverbio: quoniam nec ipsi viam virtutis capessere volunt, & capessentibus, si qui sunt, latratibus & morsibus obstant. Hoc autem ideo faciunt, ut videlicet sua occultent scelera. Nam qui pravam vitam duxerit, alios ut nequiter vivant hortabitur, quoniam latere existimant sua flagitia, si alios habuerit suorum scelerum imitatores, & tanto minus notari credit, quanto plures habuerit in crimine socios. Et tanto contra magis timet pudore confundi, quanto plures fuerint virtutes cultores. Vitium namque ex comparatione virtutis vilescit. Quædam alia quæ ad monachatum pertinent, jam superius pertractata sunt, cum de mendicitate ageretur, & inferius amplius dicemus, cum de votis disputabimus.

MULIER.

EST quædam hæresis asserens mulieres juste posse ad sacerdotium promoveri. Hujus hæresis auctores sunt Pepusiani, sic dicti (ut ait Augustinus libro de hæresibus, cap. 27.) á quodam oppido quod vocabatur Pepusa, ex quo loco dicunt fuisse oriundum Montanum hæreticum. Hunc errorem ante mille & trecentos annos sepultum, Lutherus suscitare conatus est, qui ad nihil aliud natus esse videtur, quam ad revocandum & reducendum in Ecclesiam pestilentes errores ab eadem jam olim explosos atque ejectos. Hæc hæresis facile convincitur, si consideremus quæ sint Sacerdotis partes, aut quod illorum sit munus & officium. Sacerdotis partes sunt tres, juxta quas Sacerdos à non Sacerdote secernitur. Nam Sacerdoti soli competit corpus Christi ex pane conficere. Ejusdem Sacerdotis munus proprium est peccata in confessione audire, & illis auditis, peccatorem ab illis absolvere. Ad Sacerdotem etiam pertinet ex officio docere. At cum nullum istorum competere possit mulieri, convincitur mulierem non posse ullo modo ad sacerdotium promoveri. Quod enim mulier non habeat potestatem consecrandi Eucharistiam, inde colligitur quod talis potestas fuit à Christo Sacerdotibus viris collata in cœna ultima, cum Apostolis dixit: *Hoc facite in meam commemorationem.* At cum Christus hæc verba dixit, nulla ibi aderat mulier ad quam illa verba possent referri. Non fuit ergo tunc á Deo talis potestas mulieri collata. Quod si consecrare non possunt: ergo nec pœnitentes absolvere, quoniam hæc potestas quæ circa corpus Christi mysticum exercetur, innititur alteri potestati, quæ est circa corpus Christi verum, sicut umbra pendet ex corpore, quia primam potestatem Christus contulit Sacerdotibus in cœna ultima ante mortem: secundam vero ipsis postquam à mortuis resurrexerat, cum videlicet existens in medio Apostolorum dixit eis: (*Joan.* 20.) *Quorum remiseritis peccata, remissa erunt, &c.* Si à muliere ergo primam aufers potestatem, fit ut necessario etiam auferas secundam. Præterea, cum hanc absolvendi potestatem Apostolis tribuit, nulla aderat mulier, sed soli viri, puta decem Apostoli, prout Joannes Evangelista refert: (*Ibidem.*) ergo (ut de consecratione colligimus) talis potestas absolvendi non fuit à Deo mulieribus collata. Rursum, si non esset aliquod scripturæ testimonium ad probandum mulieres non posse confessiones peccatorum audire, hoc solum sufficeret, quod mulieres male audiunt de taciturnitate, nec immerito, cum hoc sit illis nativum & genuinum, ut parum probe taceant si quid audierint secretius. Sunt enim natura garrulæ. Quo fit, ut quo eam magis secreto astrinxeris, eo libentius pottmodum effundat. Consultius ergo Deum egisse credimus, quam Lutherus docet. Nam minime expediebat, ut omnia in ejus aurem effunderemus, quæ perviam & patulam habet viam ab auribus ad linguam. Tertium quod Sacerdoti convenit ex officio, est doctrina. Illis enim incumbit alios docere, secundum quod Dominus per Malachiam Prophetam cap. 2. ait: *Labia Sacerdotis custodiunt scientiam, & legem requirent de ore ejus, quia Angelus Domini exercituum est.* Hoc autem munus non posse ullo pacto mulieribus permitti, Apostolus Paulus testatur, qui apertissime mulieribus interdicit, ne docere præsumant, dicens: (1. *Tim.* 2.) *Mulier in silentio discat cum omni subjectione. Docere autem mulieri non permitto, neque dominari in virum, sed esse in silentio.* Si ergo mulier non potest docere, neque Eucharistiam conficere, neque absolvere: convincitur ut etiam Sacerdos esse non possit. Accedit ad hæc, totius Catholicæ Ecclesiæ perpetuus usus, quæ numquam permisit mulierem Sacerdotis officio fungi: Et certe si quisque advertat quanta sit Sacerdotii dignitas, & quantum reliquas omnes dignitates excedat, illico cognoscet merito fuisse talem dignitatem mulieribus denegatam. Nam mulieres oportet esse subditas viris, quia (ut ait Paulus (*Ephes.* 5.) *caput mulieris vir.* Mulieres patiuntur prudentiæ defectum, & ideo faciles sunt, ut decipiantur. Prima est enim seducta mulier in prævaricationem. (*Eccles.* 7.) Mulieres sunt natura inconstantes & mobiles: Sicut Sapiens ait: (*Prov.* 6.) *Virum de mille unum reperi, mulierem ex omnibus non inveni.* Et iterum alibi: (*Prov.* 31.) *Mulierem fortem quis inveniet? Procul & de ultimis finibus pretium ejus.* Mulieres natura sunt fragiles, & ideo beatus Petrus vocat mulierem fragilius vasculum. (1. *Petr.* 3.)

Theophylactus interpretans illud Pauli: (1. *Tim.* 2.) *Mulier seducta in prævaricatione fuit*, sic ait: „ Quia semel „ mulier virum edocuit, & cuncta pervertit, idcirco ne- „ quaquam hæc habeat velim docendi de cætero potesta- „ tem. Est namque mulier natura levior, & facile fallitur. „ Adverte autem quemadmodum non Evam dixerit de- „ ceptam esse, sed mulierem, tamquam de ipso muliebri „ genere differuisset. Nam quemadmodum natura omnis „ humana in Adam perdita est, sic & per Evam in omne „ fœmineum genus delapsa est levitas qua & prævarica- „ tio ipsa primum Evam invasit. " Hæc Theophylactus. Cum ergo mulieres tot naturales patiantur defectus, non est credendum fuisse illis commissum tale officium, ad cujus debitam executionem maxime exigitur, ut illis omnibus defectibus careat, qui illud exercere debet.

MUNDUS.

HIC apertissime comperimus verum esse quod in primo hujus operis libro docuimus, bonam hæresum partem á gentilium librorum lectione ortum habuisse. Nam cum plures fuerint de natura mundi & illius qualitate hæreses ortæ, fere omnes ex philosophorum officina prodierunt. Est enim quædam hæresis docens materiam elementorum, ex qua factus est mundus, non esse factam à Deo, sed esse Deo coæternam. Hujus erroris auctores fuerunt Seleucus à quo Seleuciani, & Hermias à quo Hermiani. Sic enim de illis refert beatus Augustinus, in lib. de hæresibus, cap. 59. Eumdem errorem post multa tempora docuerunt Albanenses. Eidem adhæsit quidam Hermannus Ruissvich Holandinus, de quo jam supra habitus est sermo. Hic autem & Albanenses absolute dixerunt, mundum fuisse ab æterno. Quis non videt hunc errorem ex Aristotelis schola prodiisse: Si contra Aristotelem esset nobis pugnandum, durum certe & laboriosum esset futurum certamen, quoniam contra illum parum agerent scripturæ sacræ testimonia. Verum cum adversus eos sit nobis designata pugna, qui Christo nomina in baptismo dederunt, facillime de illis triumphabimus. Apertissima certe & notissima sunt ea quæ in primo capite Geneseos de mundi creatione disseruntur. Et Joann. Evangelista de filio Dei loquens, cap. 1. ait: *Omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil.* Et iterum ibidem. *In mundo erat, & mundus per ipsum factus est.* Nullus ergo dicere audeat mundum fuisse ab æterno, cum beatus Joannes tam aperte dicat, mundum esse factum á Deo.

Secunda hæresis docet mundum non finiendum. Hic etiam error ab Aristotele docetur. Post Aristotelem autem, ex iis qui se Christianos jactant, Albanenses eumdem tutantur errorem, dicentes mundum numquam finiendum, sed semper hoc in statu mansurum. Quod si capiant mundum pro sola elementorum & cœlorum substantia, certe eorum sententia non est hæresis censenda, quoniam etiam peracto judicio universali cœlum manebit, & elementa manebunt juxta eorum substantiam, immo puriora quam nunc sunt. Si vero capiant mundum pro habitatoribus mundi, prout capit Joannes cap. 1. cum dicit: *Mundus eum non cognovit.* Et iterum cap. 3. *Sic Deus dilexit mundum, ut filium suum unigenitum daret*: juxta hanc mundi significationem error est apertus, dicere mundum non esse finiendum, ita ut numquam desint generationes hominum in eo habitantium: quoniam (ut supra contra eosdem Albanenses probavimus) judicium universale est futurum: in quo omnes comparebunt ut recipiat unusquisque mercedem suam, sive bonum sive malum, prout in corpore gessit. At si mundus non finietur, non poterit generale judicium fieri, quoniam quod infinitum est, numquam poterit in unum comprehendi. Cum ergo constet judicium universale esse futurum, oportet ut mundus aliquando finiatur.

Tertia hæresis docet, mundum esse creatum non á Deo, sed ab Angelis. Hic error etiam videtur prodiisse ex officina Aristotelica. Nam quamvis Aristoteles negaverit mundum creatum, dixit tamen omnia quæ in istis inferioribus fiunt, fieri ab intelligentiis, quoniam quæ á Deo immediate fiunt, dixit Aristoteles fieri necessario; quapropter dicebat res contingentes fieri ab intelligentiis. Ex quo errore hausisse videntur hæretici, dicentes mundum esse factum ab Angelis. Hujus hæresis primus auctor fuit Simon Magus, quem secuti sunt plures alii, videlicet Menander ejusdem Simonis discipulus, & Saturninus, á quo Saturniani, Nicolaitæ, Carpocratiani, Cerinthus, & Archontici, qui sic appellati sunt á principibus quibus mundi creationem tribuunt. Istorum omnium communis error jam supra prostratus est in tit. de creaturis, hæresi prima. Illo enim loco probavimus ex sacris litteris omnia esse creata á Deo, & à nullo alio.

Quarta hæresis fuit quorumdam dicentium mundum esse factum à Deo: sed hi ponunt plures Deos, quorum uni tribuunt hujus mundi facturam, alterum autem nihil produxisse dicunt. Et hic error etiam ex fabula gentilica deductus esse videtur. Nam Gentiles ferme omnes credebant deorum multitudinem. De hoc errore jam supra disseruimus in titulo de Deo, hæresi prima. Ibi enim ostendimus ex sacris litteris solum unum esse Deum, eumque esse creatorem cœli & terræ. Qui ergo auctores erroris hujus nosse cupit, ex illo loco discat.

Quinta de hac re hæresis est, quæ asserit hunc mundum etiam post resurrectionem mortuorum in eodem statu, in quo nunc est, esse mansurum: neque ita esse mutandum ut sit cœlum novum, & terra nova. Hanc hæresim inter alias recenset Philaster Brisiensis, in suo libello de hæresibus, nullum tamen illius declarat auctorem. Beatus August. etiam in suo opusculo de hæresibus, cap. 67. hujus hæresis post Philastrum meminit, neque ullum etiam illius indicat patronum. Hanc hæresim aperta sacræ scripturæ testimonia condemnant. Nam in Psalm. 101. Propheta ait: *Initiò tu Dómine terram fundasti, & opera manuum tuarum sunt cœli. Ipsi peribunt, tu autem idem in æternum permanes, & omnes sicut vestimentum veterascent: & velut amictum mutabis eos, & mutabuntur.* Vide quoties cœlorum mutationem indicat. Nam dicit illos perituros, & velut amictum mutandos: quod haud dubie idem est. Non enim cœli omnino peribunt: sed in melius mutabuntur. Nam beatus Hieronymus in commentariis super 65. Esaiæ caput, postquam hæc verba quæ nunc ex Davide protulimus, citavit, hæc verba subjungit: „ In „ quo perspicue demonstratur perditionem & interitum, „ non abolitionem in nihil, sed commutationem sonare „ in melius. Neque enim illud quod in alio loco scriptum „ est: (*Esa.* 30.) *Luna fulgebit ut Sol, & sol septuplum* „ *lumen accipiet*, interitum significat pristinorum, sed „ commutationem in melius. Quod ut possit intelligi, „ nostræ conditionis ponamus exempla. Infans cum in pue- „ rum creverit, & puer in juvenem, & juvenis in vi- „ rum, & vir in senem, nequaquam per singulas ætates „ periit. Idem enim est qui prius fuit: sed paullatim im- „ mutatur, & ætati pristinæ perisse dicitur. Quod intel- „ ligens & Paulus Apostolus loquebatur: (1. *Cor.* 7.) „ *Præterit enim figura hujus mundi.* Consideremus quid di- „ xerit, figura præterit, non substantia. " Hactenus Hie- „ ronymus. In cujus verbis aperta satis est veritatis intelligentia. Præterea, Salvator noster apud Matthæum cap. 24. ait: *Cœlum & terra transibunt.* Quæ Salvatoris verba (ut beatus Hieronymus in commentariis super Psalmos docet) idem docent quod Propheta David in Psalmo 101.

adulterium á se repellunt & alias ducunt. Thomas de Vio Cardinalis, vulgo Cajetanus appellatus, hanc Erasmi sententiam multis in locis amplectitur, præsertim in commentariis, super Matthæi 19. & Marci 10. & primæ ad Corinthios 7. Et quantum ego conjicere possum omnia quæ Cajetanus pro hac sententia affert, accepit; ex Erasmi annotationibus, sicut in aliis multis quæ super novum testamentum dixit, est illum secutus: in quibus multo prudentius egisset, si longe ab illo discessisset. In hac tamen sententia aliqua prudentia usus est. Nam super caput 19. Matthæi hæc ait: Intelliga igitur ex hac Domini nostri Jesu Christi lege, licitum esse Christiano dimittere uxorem ob fornicationem carnalem ipsius uxoris, & posse ducere aliam uxorem, salva semper Ecclesiæ definitione, quæ hactenus non apparet. Nam decretales Pontificiæ de hac materia non sunt diffinitivæ fidei, sed judiciales facti. Profitentur autem ipsimet Pontifices (ut patet in capite Quanto De divortiis, & in capite licet, De sponsa duorum) Romanos Pontifices aliquando in his judiciis matrimoniorum errasse. Hæc Cajetanus. In quibus verbis Ecclesiæ definitioni se subdens prudenter egit: sed dicens nullam esse hactenus ab Ecclesia datam de hac re definitionem, deceptus est; quoniam apertissime de hac re fuit data in Concilio Florentino definitio, quam postea proferemus, & constabit ex ipsa esse definitionem fidei, & non judicialem facti, sicut aliæ quæ sunt in volumine decretalium. Ambrosius Catharinus Senensis ordinis Sancti Dominici, quum multas prædicti Cajetani sententias nigro carbone notasset, quasdam illarum appellans hæreticas, quasdam verò erroneas, hanc tamen de integro divortio propter adulterium concesso, intactam reliquit, cum aliquas alias multo justius relinquere potuisset, quas immerito durissima censura notavit. De qua re, cum multi admirarentur, in secunda æditione illius operis quod contra Cajetanum scripsit, hujus omissionis aut taciturnitatis causam reddidit, sic dicens: De dimissione uxoris ex causa adulterii, audio miratos esse nonnullos, quod in prima annotationum mearum æditione minime hunc articulum tetigi, cum fuisset in hoc ipse Cajetanus taxatus, quod putarit ex adulterii causa dissolvi matrimonium, non solum quantum ad thorum, sed etiam quantum ad vinculum. Ut ergo admirationem omnium auferam, causam taciturnitatis meæ libere proferam. Ego non in hominem stylum acui, sed in doctrinam, ubi videbatur annotatione digna. Neque enim poteram prudenter reprehendere, quod nesciebam etiam idonee confutare. Non quod probem ausum hominis contra omnes, sed quod nonnullam hujus ausus occasionem habere visus est mihi, ut non sim ausus ego illum reprehendere hoc in loco. Non autem me latebat recentiorum Theologorum, immo ab Augustino usque ad novissimum nostri temporis communem esse sententiam, quod in casu jam posito, matrimonium non omnino solvitur, id est ad vinculum. Quæ opinio ab ipso Augustino, qui merito vir magnæ auctoritatis semper fuit, visa est firmiores radices egisse. Hactenus Ambrosius Catharinus. Et post hæc verba statim addit argumenta quibus sententiam Cajetani infirmare videtur, & dicit sibi videri tam fortia, ut nesciat quomodo possit illis bene responderi. Hæc autem omnia argumenta ante ipsum Catharinum protulerat Erasmus, in suis annotationibus super septimum caput prioris epistolæ ad Corinthios. Et hinc ego conjicio, omnes qui hoc nostro sæculo hanc sententiam docent ex annotationibus Erasmi sumpsisse sui erroris occasionem. Sed licet Catharinus in hanc sententiam fuerit pronus, & sententiam ipsam convincamus esse hæreticam, non tamen ob hoc ille venit de crimine hæresis notandus, qui judicio Ecclesiæ se plene in hac parte subjecit, sic dicens: Scio quod aliter docent nunc universaliter scholæ. Et ego cum illis sentio, si ex fide cogor, & captivum reddo intellectum meum. Hæc Catharinus. Contra hanc doctrinam acriter pugnare oportet, ut aperte convincamus illam esse hæreticam, ne alii per illam decepti in peccatum præcipites ruant. Nam in regnum Angliæ ingressus cum Philippo Hispaniarum Principe, cui in concionibus publicis serviebam, qui eo venit ut Mariam Angliæ Reginam regnique Dominam duceret uxorem, audivi multos esse in illo regno non solum ex plebeis hominibus, sed etiam ex nobilium familia, qui uxores proprias propter illarum adulteria à suo conjugio repulerant, & alias in uxores duxerant. Sed postquam regnum illud per solicitudinem & persuasionem Philippi & Mariæ Regum ad fidem Christi & unionem Ecclesiæ revocatum est, numquam hujusmodi divortia fuere permissa.

Ad convincendam hanc sententiam quæ dicit licitum esse divortium quoad vinculum propter adulterium commissum, sufficere mihi videntur verba quæ de hac re Salvator noster apud Marcum & Lucam ait cap. 10. Nam apud Marcum hæc ait: *Quicumque dimiserit uxorem suam & aliam duxerit, adulterium committit super eam. Et si mulier dimiserit virum suum & alii nupserit, mœchatur.* Apud Lucam cap. 16. hæc sunt Christi verba. *Omnis qui dimittit uxorem suam & alteram ducit mœchatur: & qui dimissam à viro ducit, mœchatur.* In quibus verbis id potissimum annotare oportet, quod generaliter & sine ulla exceptione causæ fornicationis, verba illa dicta sunt. Ex quibus verbis apertissime colligitur, quod etiam existente adulterio uxoris, non licet viro ab illa sic discedere, ut alteram ducat uxorem, quia adulterium, ut Marcus ait, tunc committet super eam. Et certe Augustinus, libro primo de adulterinis conjugiis capite nono, censet optime convinci ex verbis Marci & Lucæ, virum priore uxore vivente, non posse aliam ducere postquam priorem propter illius adulterium repudiavit. Sed forte adversarii nostri dicent: Verba illa quæ sunt apud Marcum & Lucam esse interpretanda cum exceptione causæ fornicationis, quia illam exceptionem posuit Matthæus. Sepe enim est necessarium, verba unius Evangelistæ per verba alterius interpretari, ut facilius dissonantia, quæ ex verbis illorum oriri videtur, ad consonantiam reducatur. Fateor quidem sæpe unum Evangelistam esse per alium interpretandum, quando unus cum altero pugnare videtur: sed hic nulla est vel facialis discordia, inter Matthæum & alios duos Marcum & Lucam. Et si aliqua esset inter illos apparens discordia, non est aliqua evidens ratio, quæ convincat, Marcum & Lucam inter se concordes potius esse interpretandos per verba Matthæi, quam è contrario Matthæum per verba Marci & Lucæ. Sed his omissis volo ostendere nullam esse inter hos tres Evangelistas vel apparentem aliquam in hac parte discordiam. Ut autem hoc apertissimum faciam, duo sunt in illorum verbis potissimum consideranda. Primum est quod Marcus & Lucas duo addunt simul, videlicet dimittere uxorem & aliam ducere, quæ si quis fecerit, dicunt ex sententia Salvatoris illum esse adulterum aut mœchum. Matthæus autem cum bis de hac re disserat, utputa quinto capite, & postea decimonono, in solo cap. 19. illa duo conjunxit, & de illo ibidem loquitur, qui uxorem dimiserit, & aliam

post

post primam repulsam duxerit. De hoc ergo loquens, & universalem de hujusmodi hominibus proferens sententiam, exceptionem addidit, postquam solum unum ex illis duobus expresserat, videlicet dimissionem uxoris, & non postquam expresserat illa duo, quæ sunt dimissio prioris uxoris & inductio alterius. Sic enim ait Matthæus. *Quicumque dimiserit uxorem suam, nisi ob fornicationem, & aliam duxerit, mœchatur.* Ex quibus verbis constat, Matthæum nullam ponere exceptionem in illo qui post dimissam priorem uxorem, aliam duxerit, de quo solo locuti sunt Marcus & Lucas: sed ponit exceptionem in illo qui solum dimisit uxorem. Matthæus ergo & si universalem profert sententiam, aliqua tamen ex parte illam limitat atque restringit ad illum, qui non propter fornicationem dimisit uxorem, & de illo qui sic dimittit & aliam ducit, Matthæus dicit illum esse adulterum. Marcus autem & Lucas generaliter de omni viro locuti sunt, qui quovis modo uxorem suam dimittit & postea aliam ducit: & omnem talem dicunt esse adulterum. Non igitur oportet in verbis Marci & Lucæ illam inserere exceptionem de causa fornicationis, quam posuit Matthæus, & si quis illam inserendam esse contenderit, in illo eodem loco illam collocare debet, in quo illam collocavit Matthæus, ut solum excipiat à parte priori & non à posteriori. Et tunc illa exceptione inserta, etiam erit in Marco & Luca sententia limitata, prout est in Matthæo. Sed melius est dicere, quod in Marco & Luca sit generalis sententia, in Matthæo autem limitata. Nam ita docet Augustinus libro secundo de adulterinis conjugiis, capite nono, hæc dicens. „ Quamvis enim sceleratius mœchatur qui non „ causa fornicationis uxore dimissa, alteram duxerit, quod „ genus adulterii commemorat Matthæus cap. 19. tamen „ non solum ipse mœchatur, sed sicuti est apud Marcum „ cap. 10. *Quicumque dimiserit, uxorem suam & aliam du-* „ *xerit, adulterium committit super eam, & si uxor dimise-* „ *rit virum suum, & alii nupserit, mœchatur*: & sicuti est „ apud Lucam cap. 16. *Omnis qui dimittit uxorem suam* „ *& ducit alteram, mœchatur: & qui dimissam à viro du-* „ *xerit, mœchatur.* De quibus testimoniis jam satis in li- „ bro superiore disserui. " Hæc Augustinus. In quibus verbis id annotare oportet, quod illa verba Matthæi, nisi ob fornicationem, Augustinus non dicit esse exceptionem, sed quamdam limitationem aut restrictionem, quæ perinde est ac si dixisset, non in causa fornicationis, aut sine causa fornicationis, aut non propter fornicationem. Ea juxta hanc interpretationem, quam Augustinus ante ista verba magis expresserat, non sequitur ex verbis Matthæi quod dimittens propter fornicationem, & aliam ducens non mœchatur. Catharino tamen in illis suis annotationibus contra Cajetanum, non placet hæc Augustini interpretatio, quia dicit quod tunc superfluerent illa verba in Matthæo, Non propter fornicationem, si etiam is qui propter fornicationem dimitteret, mœcharetur. Sed si bene omnia circunspiciantur, quæ sunt in verbis Matthæi cap. 19. nihil prorsus valet argumentum Catharini contra interpretationem Augustini, quia licet verum sit quod is qui propter fornicationem uxoris suæ illam dimittit, & aliam ducit, mœchatur: non tamen inde sequitur, quod illa verba, non propter fornicationem, sint superflue addita in illis verbis Matthæi: *Quicumque dimiserit uxorem suam, non propter fornicationem, & aliam duxerit, mœchatur.* Nam Matthæus illa verba addidit, ut per illa ostenderet fornicationem uxoris, causam esse suffeicientem ad dimittendum uxorem quoad thorum. Hæc tamen dixi, in gratiam Augustini, ut illum à Catharino defenderem, qui mihi visus est sine causa illum oppugnasse. Sed præter hanc Augustini expositionem, quæ optime defendi potest, ego censeo illa verba Matthæi aliter & forte melius, nisi mearum rerum me fallit amor, posse intelligi. Ut autem hoc apertius facere possim, est aliquid prius in Matthæo solo considerandum, & diligenter annotandum, quod mea quidem sententia, maxime juvat ad veram hujus rei intelligentiam, quanavis à nemine hactenus illud annotatum esse scio. Matthæus quidem bis de divortio viri & uxoris disseruit, videlicet cap. 5. & cap. 19. Sed illa quæ cap. 5. dixit, longissime distant ab illis quæ postea dixit cap. 19. Verba quæ habentur cap. 5. sunt ista: *Omnis qui dimiserit uxorem, excepta fornicationis causa, facit eam mœchari, & qui dimissam duxerit, adulterat.* Quæ autem habentur cap. 19. hæc sunt: *Quicumque dimiserit uxorem suam, nisi ob fornicationem, & aliam duxerit, mœchatur, & qui dimissam duxerit, mœchatur.* Inter hæc verba magnum re vera est discrimen in duobus locis. Primo quidem in istis verbis quæ habentur cap. 19. ponuntur hæc verba, *& aliam duxerit*, & illa etiam refert Marcus & Lucas, quæ tamen non dicuntur à Matthæo cap. 5. Deinde in cap. 19. dicit Matthæus illum mœchari qui dimiserit uxorem suam, nisi ob fornicationem & aliam duxerit. At in cap. 5. non dicit illum mœchari, qui dimiserit uxorem suam excepta causa fornicationis, sed solum dicit, quod facit uxorem suam mœchari. Constat autem non esse idem, aliquem mœchari, & facere uxorem suam mœchari, sed magnum esse inter illa duo discrimen. Nam potest aliquis facere uxorem mœchari, quamvis ipse non mœchetur: potest etiam è contrario aliquis mœchari, licet ipse non faciat uxorem suam mœchari. Si quis enim ab uxore sua, quam novit ardenter coitum viri appetere, longe & diu absens, castitatem servaret, quàm uxor propter solam viri sui absentiam violaret, ille non vere diceretur mœchari, & tamen vere diceretur quod faceret uxorem suam mœchari. Nam facere uxorem suam mœchari, nihil aliud est nisi præbere uxori occasionem ad mœchandum. Si etiam aliquis uxorem castam & continentem habens, & cum illa cohabitans, alteri fœminæ, uxore ignorante, voluptuose misceretur, ille vere mœcharetur, nec tamen uxorem suam faceret mœchari. Cum igitur tanta sit differentia inter mœchari & facere uxorem suam mœchari, oportet ut diversæ etiam sint personarum conditiones, diversaque illorum opera, propter quæ tam distincta contra illos profertur sententia. Et ex hac rerum & personarum differentia convinciur aperte, Matthæum utrobique locutum fuisse de dimissione uxoris solum quoad thorum, & non quoad vinculum, quod adversarii nostri negant, & inde sui erroris occasionem accipiunt. Is enim qui mœchari facit uxorem suam, sed non censetur mechari, de quo loquitur Matthæus in cap. 5. est ille qui uxorem dimisit, sed nondum alteram duxit. Et inde convincitur apertissime, Matthæum capite quinto locutum esse de dimissione uxoris, quoad solum thorum, & non quoad vinculum, quia nullus in lege Evangelica, etiam secundum adversariorum opinionem, potest integre ostendere se dimittere viventem uxorem quoad vinculum, nisi quando alteram uxorem ducit. Nam postquam illam separavit à thoro, & ejecit á societate & cohabitatione sua, adhuc potest facti pœnitere, & illam ad se revocare, & illi reconciliari, ut aperte docet Paulus in priore ad Corinthios epistola cap. 7. Si autem vir illam sibi reconciliari velit, non est opus, novum inter illos contrahere matri-

mo-

Dominus, uxorem à viro non discedere: Et iterum: (*Ibid.*) *Solutus es ab uxore, noli quærere uxorem. Si autem acceperis uxorem, non peccasti: & si nupserit virgo, non peccat.*

Et in epistola ad Hebræos iterum ait: *Honorabile connubium omnibus, & thorus immaculatus.*

Et beatus Petrus præcipit mulieribus ut sint subditæ viris suis: & viris præcepit ut præstent honorem mulieribus tamquam cohæredibus gratiæ. (1. *Petr.* 3.) Si autem nuptiæ essent illicitæ, beatus Petrus non doceret conjuges modum secundum quem vivere debent.

Præterea: Qui hanc hæresim tuentur, seipsos per illam damnant. Nam illi ex nuptiis existunt, & á muliere generati sunt, & ex semine viri: quo fit ut necessario seipsos condemnent, aut nuptias probent. Si enim se salvari putant, necessarium est, ut nuptias unde illi exierunt, bonas esse dicant. Si vero nuptias abominabiles esse dicunt, necesse est, ut quicquid ex illis prodierit sit etiam abominabile.

De hac re scripsit beatus Augustinus pluries. Contra hanc hæresim extant aliquorum Conciliorum decreta. Nam Concilium Gangrense capite decimoquarto suorum decretorum sic ait: Si qua mulier derelicto viro discedere voluerit, soluto vinculo conjugali, nuptias damnando, anathema sit. Et idem definit Concilium Braccarense primum, capite undecimo.

Secunda hæresis est quæ primas nuptias admittit, secundas tamen damnat. Hujus hæresis auctores sunt Cataphryges, quorum princeps fuit Montanus. Eumdem errorem postea docuit Tertullianus, qui etsi prius contra Cataphryges pro hac re pugnaverat, postea tamen ad Cataphryges rediit, eorum defendens errorem. Extat usque hodie liber, quem pro hujus erroris defensione fecerat, qui inscribitur de Monogamia. Post istos successit in eodem errore Novatus quidam presbyter Romanus tempore Cornelii Papæ & martyris, á quo Novato appellati sunt Novatiani, qui alio nomine vocati sunt Cathari, id est, mundi; sic appellati propter munditiam quam superbissime & odiosissime jactabant. Guido Carmelita in sua summa de hæresibus dicit hunc esse unum ex erroribus Græcorum. Hæc hæresis facile convincitur per id quod habetur in Deuteronomio cap. 25. *Quando habitaverint fratres simul, & unus ex eis absque liberis mortuus fuerit, uxor defuncti non nubet alteri, sed accipiet eam frater ejus, & suscitabit semen fratris sui, & primogenitum ex ea filium nomine illius appellabit.* Ecce hic vides secundas nuptias non solum permissas, sed præcepto mandatas. Quod si hoc licuisse illis dicas tunc tempore legis veteris, non autem nunc tempore legis gratiæ, obstat id quod ait Paulus in ea quæ est ad Romanos epistola cap. 7. *Mulier vivente viro vocabitur adultera, si fuerit cum alio viro. Si autem mortuus fuerit vir ejus, liberata est à lege viri, ut non sit adultera, si fuerit cum alio viro.* Et in priore Epistola ad Corinthios cap. 7. expressius hanc confirmat sententiam, dicens: *Mulier alligata est legi quanto tempore vir ejus vivit. Quod si dormierit vir ejus, liberata est à lege. Cui autem vult, nubat, tantum in Domino.* Nihil expressius dici poterat ad hujus erroris expugnationem. Sed impii & blasphemi Caraphryges videntes tam apertum scripturæ testimonium, ut nullum illis pateret effugium, Paulum non recipiunt, dicentes illum non plene recepisse Spiritum Sanctum, sed solum ex parte prophetasse, ac proinde asserunt non esse illi credendum, sed magis credendum esse Montano hæretico eorum principi & magistro, in quem dicunt Spiritum Sanctum plene descendisse. Istorum error non est rationibus convincendus, sed ultricibus pœnis coercendus. Præterea multi sancti homines, quorum nomina sunt scripta in libro vitæ, secundas contraxerunt nuptias. Si ergo secundæ nuptiæ damnantur, & illos damnare oportet qui in illis vitam finierunt. Abraham post mortem Saræ primæ uxoris duxit secundam uxorem quandam Cethuram. (*Gen.* 25.) Ruth mulier scripturæ testimonio sancta, mortuo suo primo viro filio Noemi nupsit secundo viro, qui dictus est Booz. Sara uxor Thobiæ junioris, mulier etiam scripturæ testimonio probata, post septem viros quos habuerat, & dæmon occiderat, nupsit Thobiæ juniori, in quo matrimonio permanserunt Domino famulantes, ita ut accepti essent tam Deo quam hominibus, & cunctis habitantibus in terra. (*Thob.* 6. 8. & 14.) Mulier Samaritana quæ quinque viros habuerat, non propter hoc reprehensa est à Domino, sed quia ille, quem tunc habebat, non erat suus vir. (*Joann.* 4.) Nam ex eo quod illos quinque appellabit viros ejus, videtur approbasse illorum matrimonium. Nam si non fuisset verum matrimonium cum secundo, aut tertio, aut quarto, aut quinto, nullus illorum fuisset vir ejus, quoniam per matrimonium fit, ut vir dominetur corporis muliebris, & mulier dominetur corporis viri. Si ergo quinque viros habuit: ergo quinquies verum matrimonium contraxit: de qua re cum non fuerit á Christo reprehensa, convincitur secundas & tertias & omnes sequentes possibiles nuptias non esse illicitas. Demum adversus hanc hæresim extat Concilii Nicæni definitio, quæ habetur cap. 8. decretorum ejusdem Concilii. Ibi enim Concilium præcipit, ut qui ex Novatianis ad Ecclesiam Catholicam redire voluerit, non recipiatur nisi prius per scripturam fateatur se communicaturum cum iis qui secundas nuptias forte experti fuerint. Et Concilium Florentinum, quod pro unione Græcorum sub Eugenio quarto hujus nominis Pontifice celebratum est, de hac re per sequentia verba definit: Quoniam nonnullos asseritur quartas nuptias tamquam condemnatas respuere: ne peccatum, ubi non est, esse putetur, cum secundum Apostolum mortuo viro mulier sit ab ejus lege soluta, ut nubendi cui vult in Domino habeat facultatem, nec distinguat mortuo secundo vel tertio, declaramus non solum secundas, aut tertias & quartas, atque ulteriores, si aliquod canonicum impedimentum non obstet, licite contrahi posse. Comendatiores tamen dicimus si ulterius à conjugio abstinentes in castitate permanserint. Hactenus Concilium Florentinum.

Tertia hæresis negat in nuptiis aliquod esse Sacramentum, dicens illam maris & fœminæ indissolubilem conjunctionem non esse Sacramentum, neque per illam conferri aliquam gratiam. Hujus hæresis primi Auctores sunt Armeni, qui de omnibus Sacramentis dicunt ea nullam gratiam conferre. Post istos primus ex his qui nuptias probant, hujus erroris magister est Lutherus, qui cum alia Sacramenta sic pertractet, ut ex illis aliquod neget esse institutum in signum, in alio neget promissam gratiam: in matrimonio vero neget utrumque. Sed quamvis Lutherus hoc neget, nos Deo adjutore utrumque ostendemus ex sacris litteris. Quod matrimonium sit Sacramentum institutum in signum, Paulus Apostolus apertissime docet in ea quæ est ad Ephes. epistola cap. 5. dicens: *Mulieres viris suis subditæ, sint sicut Domino; quoniam vir caput est mulieris, sicut Christus caput est Ecclesiæ, ipse Salvator corporis ejus. Sed sicut Ecclesia subjecta est Christo, ita & mulieres viris suis in omnibus. Viri, diligite uxores vestras, sicut & Christus dilexit Ecclesiam, & seipsum tradidit pro ea, ut*

illam

illam sanctificaret, mundans eam lavacro aquæ in verbo vitæ, ut exhiberet ipse sibi gloriosam Ecclesiam, non habentem maculam, aut rugam, aut aliquid hujusmodi, sed ut sit sancta & immaculata. Ita & viri debent diligere uxores suas, ut corpora sua. Qui suam uxorem diligit, seipsum diligit. Nemo enim unquam carnem suam odio habuit, sed nutrit, & fovet eam, sicut Christus Ecclesiam, quia membra sumus corporis ejus, de carne ejus, & de ossibus ejus. Propter hoc relinquet homo patrem, & matrem suam, & adhærebit uxori suæ, & erunt duo in carne una. Sacramentum hoc magnum est. Ego autem dico in Christo & Ecclesia. Hucusque beatus Paulus. Ecce hic apertissime Paulus docet matrimonium viri & uxoris Sacramentum esse, quod repræsentat conjunctionem Christi cum Ecclesia: atque ideo virum comparat Christo, uxorem Ecclesiæ. Virum caput esse dicit illius corporis, quod unum facit cum fœmina: Christum vero caput esse dicit ejus corporis quod unum facit cum Ecclesia. Neque aliam causam adfert, cur vir debeat diligere uxorem suam, quam ne dissimile signum sit Christo quem repræsentat, qui adeo sponsam dilexit Ecclesiam, ut pro ea mortem subire dignatus sit. Mulierem vero docet, ut virum timeat ac revereatur: quod ut rectius, & facilius persuadeat, allicit eam exemplo Ecclesiæ cujus imaginem gerit, quæ Christo sponso suo per omnia obedit. Nihil ergo aliud Apostolus loco illo disserit, quam ut moneat conjuges ad mutuam inter se charitatem exemplo Christi & Ecclesiæ, quos repræsentant, ne videlicet fallacia sint signa, sed verè reddant ea quorum imaginem referunt. Et tamdem post multas adductas similitudines claudit sententiam, dicens: *Sacramentum hoc magnum est.* Præterea, Ecclesia quæ (ut jam sæpe ostendimus) errare non potest, censet septem esse Sacramenta: quoniam inter plures articulos Joannis Hus, quos Concilium Constantiense sessione quintadecima damnavit, unus eorum sic ait: Sacerdotes quomodolibet criminose viventes, Sacerdotii polluunt potestatem, & sicut filii infideles sentiunt infideliter de septem Sacramentis Ecclesiæ. Hæc autem assertio Joannis Hus cum ibidem damnetur, inde colligimus Ecclesiam sentire septem esse Sacramenta. At Sacramenta esse non possunt septem, nisi inter illa numeretur matrimonium. Matrimonium ergo est Sacramentum. Rursum, matrimonium esse Sacramentum, non solum docent ii, quos per contemptum Lutherus sententiarios appellat, sed illud etiam sentiunt veteres Ecclesiæ Doctores. Ambrosius exponens illum locum Pauli, quem proxime citavimus, ait: „ Mysterii „ Sacramentum grande in unitate viri ac fœminæ esse „ significat. Nec hoc prodit, sed aliam causam quæ non „ discordet à memorato mysterio flagitat, quam scit ad „ profectum humani generis pertinere, hoc est Ecclesiæ „ & Salvatoris, ut sicut relictis parentibus homo uxori „ suæ adhæret, ita relicto omni errore, Ecclesiæ adhæ- „ reat, & subjiciatur capiti suo, quod est Christus. " Hæc Ambrosius. Eidem sententiæ favet Augustinus in libro de bono conjugali, cap. 7. ubi hæc ait: „ Usque adeo „ fœdus illud initum nuptiale cujusdam Sacramenti res „ est, ut ipsa separatione irritum fiat, quandoquidem vi- „ vente viro, á quo relicta est, mœhatur si alteri nupse- „ rit, & ille hujus mali causa est qui reliquit. Unde nec „ ipsa, vivente adultero, potest alteri nubere: nec ipse, vi- „ vente adultera, alteram ducere, sicut docet Apostolus. „ Unde non licet homini dimittere sterilem uxorem, ac „ nostris quidem jam temporibus, ac more Romano: nec „ superinducere, ut amplius habeat, quam unam vivam, „ quod non licet, sicut divina regula præscribere vide- „ tur. Unde quum non faciat intentum, quid sibi velit „ tanta firmitas vinculi conjugalis? Quod nequaquam „ tantum puto valere potuisse, nisi alicujus rei majoris, „ ex hac infirmitate hominum, quoddam Sacramen- „ tum adhiberetur, quod deserentibus hominibus, atque „ id dissolvere cupientibus, inconcussum illis maneret ad „ pœnam. Siquidem interveniente divortio non aboletur „ illa confœderatio nuptialis, ita ut sibi conjuges sint „ etiam separati. Et iterum. Semel autem initum conju- „ gium in civitate Dei nostri, ubi etiam ex prima duorum „ hominum copula, quoddam Sacramentum nuptiæ ge- „ runt, nullomodo potest, nisi alicujus morte dissolvi. " Hæc Augustinus. Et idem dicit cap. 15. 18. & 24. ejusdem libri. Ex his testimoniis Ambrosii & Augustini, quæ nunc proxime citavimus, convincitur mendacium Joannis Calvini, quod ille confinxit in favorem hæresis Lutheranæ. Is enim in suo illo opere de institutione Christiana, capite decimonono, hæc ait. Postremum est matrimonium, quod ut á Deo institutum fatentur omnes, ita pro Sacramento datum nemo usque ad Gregorii tempora viderat. Hæc ille. Quam falsum sit hoc quod Calvinus ait, apertissime convincitur per hoc, quod constat Ambrosium, & Augustinum uno integro sæculo, & eo amplius præcessisse Gregorium. At illi duo matrimonium appellavere Sacramentum: ergo ante tempora Gregorii aliqui cognoverunt matrimonium esse Sacramentum. Non tantum fœcunditas, cujus fructus in prole est, neque tantum pudicitia, cujus vinculum est fides: verum etiam Sacramentum nuptiarum commendatur fidelibus conjugatis. Unde dicit Apostolus: *Viri, diligite uxores vestras, sicut & Christus dilexit Ecclesiam.* Hæc Augustinus. Sed hic Lutherus nobis objicit, quod in illo Pauli loco proxime citato non habetur Græce Sacramentum, sed mysterium: non debet ergo appellari Sacramentum sed mysterium. O indissolubilem nodum. Si res constat, quid moratur vim in una vocula facere? Si conjugium illud maris & fœminæ repræsentat conjugium Christi cum Ecclesia: ergo signum est alterius rei, modo id concedat, cum nos illud tale appellemus Sacramentum, si ipse appellare vult mysterium, parum interest, quoniam omnia Sacramenta sunt mysteria quædam. In cujus rei testimonium efficacissimum est, id quod in verbis consecrationis habetur, quibus tota Catholica Ecclesia utitur ad conficiendum ex vino sanguinem Christi. Nam in illis verbis, ipsum Eucharistiæ Sacramentum appellatur mysterium fidei. Quod non alia ratione dictum est, nisi quia idem credidit Ecclesia esse Sacramentum & mysterium. Male ergo colligit Lutherus, matrimonium non esse Sacramentum, per hoc quod Paulus de illo loquens vocavit illud mysterium: quoniam, ut ostendimus, idem simul est Sacramentum & mysterium. Secundo, Lutherus argumentatur contra nos, sic inquiens: Deinde cùm matrimonium fuerit ab initio mundi, & apud infideles adhuc permaneat, mille subsunt rationes, ut Sacramentum novæ legis & solius Ecclesiæ possit dici. Non minus enim erant matrimonia patrum sancta, quam nostra, nec minus vera infidelium, quam fidelium, nec tamen in eis ponunt Sacramentum. Hæc Lutherus. In quibus verbis duo manifeste falsa assumit: & ideo non est mirum si male colligat. Primo quidem falsum est, matrimonium sanctorum Patriarcharum non esse, nostro judicio, Sacramentum. Omnes enim Theologi Catholici concordi sententia docent, matrimonium illorum sanctorum virorum, qui in lege natu-

ræ,

ræ, aut Moysi vixerunt; fuisse verum Sacramentum, quia cum illi Deo revelante habuerint fidem Christi incarnandi, matrimonium illorum fuit signum conjunctionis illius, qua Christus cum Ecclesia, tamquam cum sponsa sua conjungendus erat, sicut matrimonium, quod nunc cum fide Christi incarnati contrahitur, signum est illius conjunctionis, qua Christus jam conjunctus est cum Ecclesia. Deinde falsum est, matrimonia infidelium esse æqualia matrimoniis Christianorum, cum apud Gentiles matrimonia talia fuerint, ut apud multos eorum vix ullum fuerit verum rectumque matrimonium, sed potius prostibula & scorta. Nam Aristoteles in 2. Politicorum, capite sexto, dicit fuisse olim apud Græcos consuetudinem emendi invicem uxores. Et Cæsar in Commentariis, libro quinto, de bello Gallico de Britannorum moribus loquens, ait: Uxores habent deni, duodenique inter se communes, & maxime fratres cum fratribus, & parentes cum liberis. Sed qui sunt ex his nati, eorum habentur liberi, à quibus primum virgines quæque ductæ sunt. Hæc Cæsar. Et pomponius Mela libro primo, capite octavo, refert gentes quasdam in Aphrica, Augilas dictas, quorum fœminis solemne erat, ut nocte qua nubebant, paterent stupro omnium, qui cum munere aliquo accessissent, & illa quæ cum pluribus concubuisset, majus deeus conquirebat, & in posterum ad perpetuam pudicitiam, servandam legibus severissimis cogebatur. Plutarchus in vita Licurgi refert, Lacedæmones suas uxores amicis suis communicasse. Dicit etiam licuisse apud illos probo cuique viro, qui fœcundam aliquam pulchramque mulierem alteri nuptam admiraretur, marito illius suadere, ut cum ea ipse coiret, tamquam in solo fertili & pulchro, bonos filios saturus, atque facturus. Solinus in suo libro de mirabilibus, cap. 43. aliud pejus de Garamanticis Æthiopibus ait, cujus verba sunt hæc. Matrimonia privati nesciunt, sed omnibus vulgo in venerem licet. Inde est quod filios matres tantum recognoscunt. Nam paterni nominis nulla reverentia est. Quis enim verum patrem noverit in hac luxuria incesti lascivientis? Quapropter Garamantici Æthiopes inter omnes populos degeneres habentur, nec immerito, quia afflicta castitatis disciplina successionis notitiam ritu improbo perdiderunt. Hactenus Solinus. De Scotis autem cum infideles erant, Beatus Hieronymus libro secundo contra Jovinianum, hæc ait: Scotorum natio uxores proprias non habebat, & quasi Platonis Politiam legerit, & Catonis sequatur exemplum nulla apud eos conjunx propria, sed ut cuique libitum fuerit, pecudum more lasciviunt. Hæc Hieronymus. Et quoniam de Catone ille memoriam fecit, operepretium erit audire, quid de illo dicat Augustinus in libro de fide & operibus, cap. 7. In civitate Domini in monte sancto ejus, hoc est, in Ecclesia, ubi nuptiarum non solum vinculum, verum etiam Sacramentum ita commendatur, ut non licat viro uxorem alteri tradere. Quod in Republica tunc Romana non solum minime culpabiliter, verum etiam laudabiliter, Cato fecisse perhibetur. Hæc Augustinus. De Platonis vero Politia cujus supra etiam meminit Hieronymus, Lactantius libro tertio divinarum institutionum, cap. 21. & 22. refert fuisse in illa omnia communia, etiam uxores, ita ut ad eamdem mulierem multi viri, tamquam canes confluerent, & qui viribus vicisset, eam obtineret. Repudia etiam fuerunt apud infideles tam frequentia, ut in Romana Republica, quæ aliis multo honestior fuit, liberum fuerit, vel pro levi causa uxores repudiare, & alias novas ducere. Quis jam hæc omnia flagitia immo potius adulteria, & scortationes audebit dicere fuisse vera matrimonia? Sed esto, conjugia illorum multa fuerint vera, & legitima matrimonia, non ideo consequens erat, ut illorum quodlibet fuerit verum Sacramentum, perinde ac matrimonium Christianorum. Quoniam matrimonium infidelium, quamvis habeat vinculum indissolubile, non tamen vere repræsentat conjunctionem Christi & Ecclesiæ, quia tale matrimonium est sine fide verbi incarnati, & extra Ecclesiam Dei factum, & ob hanc causam non potest censeri esse verum Sacramentum quemadmodum matrimonium Christianorum. Nam omnes Doctores Theologi Scholastici uno ore fatentur, Baptismum ita esse januam omnium Sacramentorum, ut ante illum nullus possit verum aliquod suscipere Sacramentum. Quamquam Innocentius tertius in capitulo Gaudemus, de divortiis, dicit apud infideles esse Sacramentum matrimonii: & beatus Augustinus etiam dicit Sacramentum conjugii omnibus gentibus commune esse, sanctitatem autem Sacramenti non esse, nisi in civitate Dei nostri. Sed hæc solum dicta sunt propter vinculum matrimonii indissolubile, quod ita bene est apud infideles, sicut apud fideles, & hoc vinculum matrimonii appellat Augustinus Sacramentum matrimonii: sed non propterea, quod sit verum signum vere repræsentans conjunctionem Christi & Ecclesiæ. Et eodem modo interpretandus est Innocentius tertius in loco proxime citato, quia illic ut constat ex littera textus, non agebat de vera ratione Sacramenti, sed solum de vinculo illius indissolubili. Præter hæc Lutheri argumenta Calvinus, objicit nobis aliud argumentum multo ineptius, & magis calumniosum. Nam in illo suo libro de institutione Christiana, cap. 3. quod est de lege §. 66. hæc ait. Matrimonium quod Dominus noster sua præsentia sanctificavit, quod primo suo miraculo cohonestare dignatus est, pollutionem vocare audent tantum, ut qualemcumque cœlibatum miris encomiis extollant. Hæc ille. Et in cap. 19. §. 18. iterum ait. Est & altera in eorum dogmatibus absurditas: in Sacramento conferri gratiam Spiritus Sancti affirmant, coitum tradunt esse Sacramentum, coitui negant umquam Spiritum Sanctum adesse. Hæc Calvinus. Sed in his omnibus multa mendacia, & multæ calumniæ contra Scholasticos Theologos. Nullus enim Theologus dixit matrimonium esse carnalem pollutionem: quia etsi dicant copulam conjugatorum esse opus matrimonii, aut consummationem quamdam matrimonii: non tamen dicunt, illam esse verum matrimonii Sacramentum, quia illa seclusa, si cætera necessaria adsunt, est verum Sacramentum. Esto illa sit Sacramentum, aut pars aliqua integri Sacramenti, nullus tamen illam vere matrimonii copulam ausus est vocare pollutionem, aut immunditiam animæ. Bene quidem dici potest talis copula, quamvis sine peccato fiat, corporis pollutio, quia per illam corpus polluitur, quamvis anima sit munda. Propter hanc enim causam illa seminis humani effusio, quæ in somno contingere solet, vocatur in sacris litteris nocturna pollutio, (*Deut.* 23.) quamvis sine peccato fiat. Propter hanc etiam causam Abdias Christi discipulus in lib. quem de vitis Apostolorum ædidit in libro septimo, qui est de vita Sancti Matthæi, vocat matrimonium pollutionem, quia per illius copulam polluitur corpus. At quod matrimonium sit animæ pollutio, omnes nostri Theologi negant, & merito, quia Paulus dixit: (*Hebr.* 13.) *Honorabile connubium, & thorus immaculatus.* Si thorus est immaculatus, consequens est, ut coitus sit impollutus, & sine macula. Falsum est etiam, nos negare in coitu umquam Spiritum Sanctum adesse. Nam si in coitu Spiritus Sanctus

tus numquam adesset, non esset honorabile connubium, quoniam sine Spiritu Sancto, nihil est vere honorabile. Nos enim fatemur, illum qui uxori suæ copulatur non causa libidinis explendæ, sed solum propter Deum, ut reddat debitum uxori petenti, & ut prolem gignat ad Dei servitium, Spiritum Sanctum habere, nisi aliquid aliud extraneum accedat, quod præsentiam Spiritus Sancti impediat. Nam qui sic illud facit, justitiam operatur, & ideo augmentum gratiæ meretur: *quoniam diligentibus Deum*, ut ait Paulus, (*Rom.* 8.) *omnia cooperantur in bonum.* Quapropter beatus Ambrosius illum Pauli locum pertractans, vocat matrimonium utroque nomine, videlicet nomine mysterii, & nomine Sacramenti, prout patuit ex verbis illius proxime citatis. Probavimus matrimonium esse Sacramentum. Superest ut probemus gratiam in ejus contractu infundi, quoniam hoc etiam negat Lutherus. Ut autem hoc apertius ostendamus, convertamus oculos nostros, & aspiciamus hujus Sacramenti initium, unde videlicet sumpsit exordium, & quale. Deus enim hujus Sacramenti institutor, cum primos parentes conjugio innecteret, conjugium benedictione sacravit. Sic enim ait scriptura: (*Genes.* 1.) *Benedixit illis Deus, ac dixit: Crescite, & multiplicamini.* Non est autem vero simile, ut cum Deus homini benedictionem dedit, corporis præcise habuerit respectum, quemadmodum in cæteris animantibus, animam autem rationis capacem benedictionis suæ reliquerit expertem. Quod si concedat benedictionem illam pertingere, usque ad animam, oportet, ut concedat etiam gratiam esse tunc animæ collatam, quoniam non alio modo nostræ animæ benedicuntur ab illo, quam per gratiæ suæ infusionem. Sic enim benedicti sunt ab illo, qui ad regni æterni gloriam percipiendam vocantur. (*Matth.* 25.) Hanc etiam benedictionem petebat Propheta, dicens: (*Ps.* 66.) *Benedicat nos Deus Deus noster, benedicat nos Deus.* Si vero Lutherus concedat ex illa benedictione divina impartitam esse á Deo primis parentibus gratiam, in aliis tamen neget ita fieri, hoc facile revincitur: quoniam qui primos parentes copulavit, ipse idem est qui reliquos omnes matrimonio copulat: nec aliquis est conjungio ligatus, qui non à Deo ligatus sit. *Quos Deus* (inquit Christus (*Matth.* 19.) *conjunxit, homo non separet.* Si ipse conjungit omnes, credendum est, ut etiam omnes benedicat. Non est enim vero simile, ut semper conjungat, & semel dumtaxat benedicat, sed quod toties benedicendi repetat gratiam, quoties jungendi officium resumit. Præterea Apostolus Paulus in epistola ad Hebræos, (*cap.* 13.) de nuptiis loquens, sic ait: *Honorabile connubium, & thorus immaculatus.* Thorus macula carere non posset, si conjugium careret gratia. Conjugium enim non haberet thorum immaculatum, si gratia quæ in conjugio infunditur non verteret illud in bonum, quod alias esset peccatum. Quam rem miraculum in nuptiis operatum nos docet. (*Joann.* 2.) Quid enim est aquam in nuptiis converti in vinum, nisi insipidam concupiscentiæ carnalis aquam, per occultam Dei gratiam in optimi saporis vinum esse conversam? Rursum: Post peccatum primorum parentum datum est matrimonium in remedium carnalis concupiscentiæ, quod prius fuerat institutum in officium: ut videlicet qui incontinens est, matrimonium contrahat, quo mediante exercere possit sine peccato, quod alias sine peccato facere non posset. Hoc ita esse Apostolus nos docet, qui male continenti consulit, ut nubat, ne peccet, dicens: (1. *Cor.* 7.) *Melius est nubere, quam uri.*

Si ergo matrimonium datum est in remedium, quo pacto posset esse remedium carnalis concupiscentiæ, si in eo non daretur gratia, per quam minueretur illud carnalis concupiscentiæ incendium? Certe per exercitium, & usum conjugii magis arderet flamma illa libidinis, quam extingueretur, quoniam etsi ad tempus sit sopitus ardor, & impotentia virtutis corporeæ, cum tamen vires resumit corpus, tunc intensior ardor apparet, velut prunæ, quæ intra cineres latent. Est ergo necessarium fateri virtute hujus Sacramenti conferri gratiam iis, qui recto animo nuptiarum fœdera jungunt, ut per gratiam in illo Sacramento collatam melius contineant, qui alias vix continere possent. Nam alias non esset in remedium, sed potius ad incendium carnalis concupiscentiæ. Accedit ad hæc usus Ecclesiæ, quo suscepturi hoc Sacramentum, præcipiuntur quatenus animas suas mundent, per peccatorum confessionem, ut sic mundati, parati sint ad gratiam recipiendam, quæ in illo Sacramento infunditur. Nam alias si nulla ibi gratia infunderetur, non erat opus ullam peccatorum confessionem facere. Satis de hac re me dixisse arbitror pro brevitate, quam promisimus, & opus ipsum exigit. Qui plura nosse cupit, legat assertionem Sacramentorum, quæ sub titulo Regis Angliæ circumfertur, & defensionem ejusdem tractatus, quam fecit Joannes Rofensis Episcopus.

Quarta hæresis docet, licitum esse cuilibet viro duas uxores matrimonio sibi copulatas simul habere. Hujus hæresis primi auctores sunt hoc nostro sæculo impii Anabaptistæ, nisi forte quis vellet ad hanc hæresim reducere errorem Adamitarum, qui, ut supra in titulo de coitu docuimus, connubia promiscua licita esse dixerunt. Sed certe ex illis quæ Æneas Sylvius, in libro de origine Bohæmorum, de hujusmodi Adamitis refert, non potest colligi, illos censuisse talia promiscua connubia esse vera matrimonia. Si hoc illi censuerunt, aperte convincitur, inde illos sensisse non solum licere cuilibet duas habere uxores, sed quotquot voluerit. Si vero illi non hac intentione permiserint promiscua connubia, ut putarent illa esse vera matrimonia, nescio qua ratione possit tribui illis hæc hæresis de pluralitate uxorum. Et quia hoc mihi de illis non constat, ideo dixi Anabaptistas esse primos hujus hæresis auctores, quamquam hi etiam permittunt promiscua connubia, quemadmodum Adamiani, non tamen dicunt talia connubia esse vera matrimonia, sed solas permissiones propter ferventem libidinis ardorem. Thomas de Vio Cardinalis, Cajetanus vulgo nominatus, quamvis non concedit uxorem pluralitatem esse licitam, dicit tamen legem de unitate uxoris non esse in sacris litteris scriptam, & addit hanc esse Theologorum sententiam. Ne quis autem putet me falso hoc tribuere Cajetano, verba illius referam, quæ ille in Commentariis super decimum caput Marci scripsit. In illo siquidem loco, postquam dixerat matrimonii vinculum per uxoris adulterium dissolvi, de qua re inferius in proximi sequenti hæresi disputabimus, hæc quæ sequuntur verba subnectit. Hic apparet planus litteræ sensus, quem ideo exacte explicaverim, ut intelligatur verum esse, quod Theologi dicunt, scilicet legem de unitate uxoris nullibi in Canonicis libris esse scriptam. Hæc Cajetanus. Vidi ego aliquos viros doctos, qui ex his Cajetani verbis colligebant illum sentire legem de unitate uxoris non esse divinam, sed tantum humanam, propterea quod dixit, nullibi illam in sacris libris esse scriptam, & inde deducere conabantur illum sentire, Papam posse dispensare in lege de unitate uxoris. Ego tamen non possum ex illa litte-

ra colligere Cajetanum in illa fuisse sententia, ut dixerit legem de unitate uxoris esse tantum humanam, & non divinam. Nam ex hoc quod lex aliqua non sit in libris Canonicis scripta, non sequitur illam non esse divinam.

Sunt enim multæ leges divinæ, ut libro primo, capite quinto probavimus, quæ non sunt in sacris codicibus scriptæ, sed solo verbo per traditiones in Ecclesia servatæ. Sunt etiam aliæ multæ leges juris naturalis, quamvis non ex primis illius principiis, quæ etiam merito divinæ leges dicuntur, nec tamen sunt in libris sacris aperte scriptæ. Et potuit esse ut Cajetanus sensisset, legem de unitate uxoris esse unam ex istis, ita ut crediderit legem illam esse juris naturalis, & per consequens divinam, non tamen esse in sacris codicibus scriptam. Ut autem ita Cajetanum sensisse credatur, non levis est suspicio. Nam beatus Thomas, in cujus verba ille jurasse videtur, hanc eamdem docet sententiam. Nam in 4. sententiarum, dist. 33. articulo 1. quæstione 2. ubi quærit, an fuerit aliquando licitum habere plures uxores. Per hæc verba respondit: Lex de unitate uxoris non est humanitus, sed divinitus instituta, nec umquam verbo, aut litteris tradita, sed cordi impressa. Hæc Sanctus Thomas. Quæ verba fere sunt eadem illa, quæ Cajetanus dixit, & suspicio est illum inde sumpsisse. Hæc in gratiam Cajetani dicere volui, ut illum à suspicione erroris, quam aliqui illi inurere nituntur, liberarem, si possem. Sed reperio alia ejusdem Cajetani verba, apud 19. Matthæi caput, quæ me in aliam sententiam trahunt, ut vehementer suspicer illum sensisse, legem de unitate uxoris non esse divinam. Ut autem intelligat lector, non levem esse meam in hac parte suspicionem, verba ejusdem Cajetani inferius citabo. Si hoc sentit Cajetanus prout verba illius indicant, bis in in hac parte errat. Primo quum dicit legem illam non reperiri in Canonicis scripturis. Deinde quum dicit, hanc esse Theologorum sententiam. Quamvis igitur Cajetanus differat ab Anabaptistis, per hoc quod ille non dicit esse licitam uxorum pluralitatem, prout illi dicunt, hoc tamen inter eum, & Anabaptistas convenit, quod utrique negant, legem de unitate uxoris esse in libris Canonicis scriptam, & ideo pro hac re eos simul eodem gladio ferire oportet. Sed prius contra impios Anabaptistas probabo, non esse licitam uxorum pluralitatem, deinde contra Cajetanum, & illos ostendam apertissimis testimoniis, legem de unitate uxoris esse in libris Canonicis scriptam. Quod nulli viro liceat vivente uxore sua aliam ducere uxorem, apertissime convincitur per hoc, quod vir ille cum secunda muliere contrahens, nihil illi tradit: unde sequitur, ut nec mulier illi aliquid tradat, & per consequens, ut nullus in hac re sit inter illos contractus, nullumque matrimonium. Nam in omni matrimonio, intervenit quidam contractus, quo sua corpora ad actum generationis permutant, quum uterque alteri sui corporis potestatem tribuit. Mulier siquidem quando viro nubit, non tradit illi gratis sui corporis potestatem, sed propter æqualem compensationem: quia videlicet ille tradit, etiam sui corporis potestatem mulieri.

Et propter hanc causam, hic matrimonii contractus vocari solet à jurisperitis, & Theologis, do ut des, vel do si des. Quia nullus conjugum donat liberaliter sui corporis potestatem alteri, sed solum cum conditione retributionis. Hunc contractum mutuæ donationis corporum, inter conjuges initum aperte docet Paulus in priore ad Corinthios epistola, (*cap. 7.*) sic inquiens: *Mulier sui corporis potestatem non habet, sed vir. Similiter autem, & vir sui corporis potestatem non habet, sed mulier.* Hanc autem potestatem supra corpus mulieris, non aliunde habet vir, nisi ex donatione mulieris, & mulier non habet potestatem supra corpus viri, nisi ex donatione viri. Est ergo inter conjuges mutua suorum corporum donatio, & per consequens manifestus contractus. Ex his omnibus manifeste convincitur virum, qui priore uxore vivente contrahit cum secunda, nullam sui corporis potestatem illi secundæ dare: quia quando cum priore uxore contraxit, nullam apud se retinuit sui corporis potestatem. Non potuit ergo secundæ dare, quod jam non habebat: quia nemo potest dare, quod non habet. Si ille non potest vivente prima uxore, potestatem sui corporis tradere alteri mulieri: ergo nec potest ab alia muliere potestatem corporis illius recipere, quia illa, ut diximus, non potest sui corporis potestatem gratis, & liberaliter viro tradere, sed solum commutando illam pro potestate corporis viri. Si illi duo non possunt suorum corporum potestates commutare: ergo nec possunt inter se matrimonium contrahere. Forte aliquis respondebit concedens, virum tradidisse sui corporis potestatem primæ uxori, non tamen plenam & integram, sed aliquam sibi servasse, quam postea tradere posset secundæ. Verum hæc responsio facillime convincitur, per id quod Paulus ait: (1. *Cor. 7.*) *Vir non habet potestatem sui corporis, sed mulier.* Non fuit contentus Paulus dicere, mulierem habere potestatem corporis viri, sed dicere voluit, virum non habere potestatem sui corporis, ut plane ostenderet illum in hac re nihil sibi servasse, quod posset alteri mulieri tradere. Præterea, si vir cum prima uxore contrahens, aliquam sui corporis potestatem apud se retinuit, ut illam alteri posset dare, hinc aperte constabit illum, neque cum prima, neque cum secunda verum contrahere matrimonium: quia cum neutra illarum æqualem facit sui corporis commutationem, cum non tantam sui corporis potestatem illi tribuat, quantam ab illa recipit. Nam mulier cum non possit, ut ipsi Anabaptistæ fatentur, duos viros simul habere, integram semper sui corporis potestatem tribuit viro cui nubit: ergo vir cum illa contrahens integram etiam sui corporis potestatem tenetur illi reddere: quia Paulus de viri, & uxoris potestatibus loquens, pares in hac parte illos fecit. Et certe si vir non tantam sui corporis potestatem uxori daret, quantam ab illa recipit, injustus esset talis contractus, & lege divina prohibitus. Nam Paulus Thessalonicensibus scribens, (1. *cap.* 4.) ait: *Ne quis supergrediatur, neque circumveniat in negotio fratrem, quoniam vindex est Dominus de his omnibus, sicut prædiximus vobis, & testificati sumus.* Supergredi, ut hoc loco docet Anselmus, est aliquid plus accipere in negotio, quam dare. Circumvenire autem est, per dolum, aut fraudem, alium in negotio aliquo decipere. Utrumque horum esse peccatum satis aperte docuit Paulus, per id quod statim addidit: quoniam vindex est Dominus de his omnibus. Numquam autem Dominus de homine vindictam sumit, nisi propter peccatum. Hinc ergo apertissime colligitur, virum qui vivente prima uxore contrahit cum secunda, supergredi in negotio matrimonialis contractus illam secundam, quia non tantum illi reddit, quantum ab illa capere nititur. Si vero cum prima hoc animo contraxit, ut non integram sui corporis potestatem reddere voluerit, sed aliquam sibi servaverit, quam alteri tradere posset, tunc non solum su-

supergressus est primam, sed etiam circumvenit illam, quia nec tantam sui corporis potestatem dedit mulieri, quantam illa sui corporis dedit illi, neque tantam dedit, quantam illa speravit, & quantam juste potuit credere sibi fore à viro reddendam. Et inde convincitur cum nulla illarum verum contraxisse matrimonium. Rursum: Si vir prima uxore vivente potest adhuc ducere secundam, pari ratione viventibus duabus poterit superinducere tertiam, & quartam, & quintam, & deinceps quotquot alere potuerit. Si hoc Anabaptistæ concedere non verentur, hoc ipso ostendent se potius Mahometicos esse, quam Christianos, & concedent virum minimam sui corporis potestatem posse tradere unicuilibet mulieri, cum tamen quælibet illarum integram sui corporis potestatem tradat illi. Deinde, statuamus, ut omnes illæ uxores simul pertant debitum conjugale ab illo viro, quæro ab Anabatistis, ut dicant cui illarum tenebitur vir reddere debitum. Aut omnibus obligatur reddere, aut nulli, quia non majori ratione tenetur uni, quam alteri. Omnibus autem simul non tenetur, quia omnibus simul reddere non potest: ergo nulli tunc tenetur, & inde sequitur, ut nulla illarum tunc habeat potestatem corporis illius viri, & per consequens, nulla illarum sit vera uxor. Accedit ad hæc omnia, quod illa uxorum pluralitas esset maximus fomes discordiæ, quia multarum rixarum, & contentionum perpetuam præberet occasionem. Quælibet enim illarum, ut virum sibi magis propitium, & ardentiorem sui amatorem faceret, semper procuraret illum alteri uxori reddere invisum, & infestum. Et hujus rei apertissimum nobis testimonium præbent uxores Jacob, Lia, & Rachel, quæ etsi sorores erant, & ideo se magis diligere debebant, vitio tamen Zelotipiæ inter se rixabantur. At cum Deus nihil nobis magis commendaverit, quam pacem, & propter meliorem illius observationem, omnes belli, & discordiæ occasiones sustulerit, consequens est, ut ipsam etiam uxorum pluralitatem prohibuerit, quia illa perpetuam facile potest præbere discordiæ occasionem. Omissis his omnibus argumentis, quæ apertissime convincunt contra Anabaptistas uxorum pluralitatem non esse licitam, opus est, ut jam probem, legem de unitate uxoris esse in libris Canonicis scriptam. Lex de unitate uxoris est apertissima in illis verbis, quæ, formata Eva, Deus per os Adæ dixit: (*Genes.* 2.) *Propter hoc relinquet homo patrem, & matrem, & adhærebit uxori suæ, & erunt duo in carne una.* In quibus verbis id annotare oportet, quod non dixit, adhærebit uxoribus suis, sed adhærebit uxori suæ, neque dicit: Erunt tres, aut quatuor, aut plures in carne una, sed dixit: Erunt duo in carne una. Quibus verbis aperte ostendit Deus sanctum esse ab eo, ut unus vir unam, & non plures simul habeat uxores. Quod autem illa sint verba Dei, & non Adæ, ipse Salvator nostet aperte docet apud Matthæum, (*cap.* 19.) ubi Pharisæis petentibus, si liceret homini dimittere uxorem suam quacumque ex causa, respondit: *Non legistis quia qui fecit ab initio, masculum, & fœminam fecit eos, & dixit: Propter hoc dimittet homo patrem, & matrem, & adhærebit uxori suæ, & erunt duo in carne una.* Hæc verba dicta à Deo, & per os Adæ, tamquam per os præconis divini proclamata, legem apertissimam de unitate uxoris declarant. Et in hunc sensum Salvator noster illa cirait contra Pharisæos, volens ex illis probare, ut ex contextu litteræ constat, non licere viro, prima uxore vivente alteram ducere, neque primam dimittere. Sed quia Cajetanus, prædictis verbis vim facere nititur, ut illa in alienum sensum, & à littera longissime distantem detorqueat, vo lo probare testimoniis sanctorum patrum, verum illorum verborum sensum esse illum, quem nos proxime dedimus.

Hieronymus in Commentariis super Matthæum interpretans illa prædicta Salvatoris nostri verba, ait: „ Hoc in exordio Genesis scriptum est. Dicendo autem, „ Masculum, & fœminam, ostendit secunda vitanda con„ jugia. Non enim ait: Masculum, & fœminas, quod „ ex priorum repudio quærebatur: sed masculum, & fœ„ minam, ut unius conjugis consortia necteretur. Et „ dixit: *Propter hoc relinquet homo patrem, & matrem, & „ adhærebit uxori suæ.* Similiter ait: Adhærebit uxori suæ „ non uxoribus. Et erunt duo in carne una: præmium „ nuptiarum, è duobus unam carnem fieri. Castitas junc„ ta spiritui unus efficitur spiritus.“ Hæc Hieronymus. Et eamdem sententiam iterum docet, libro primo, contra Jovinianum, sic inquiens: „ Una costa principio in unam „ mulierem versa est. Et erunt (inquit) duo in carne una. „ Non dixit tres, neque quatuor. Alioqui non duo, sed „ plures. Primus Lamech sanguinarius, & homicida „ unam carnem in duas divisit uxores: fratricidium, & „ bigamiam eadem cataclysmi pœna delevit.“ Hactenus Hieronymus. Eumdem sensum reddit illis Christi verbis Chrysostomus, qui homilia 63. super Matthæum, hæc ait: „ Considerandum autem est, quia non auctoritate „ solum scripturæ, verum etiam rerum dignitate senten„ tiam suam corroborat. Non enim dixit, quia virum & „ mulierem unam solummodo fecit, verumetiam quia „ jussit, ut unus uni conjugatur. Nam si voluisset alte„ ram etiam conduci uxorem, uni viro creato multas con„ formasset mulieres: nunc vero ut creationis, & sanc„ tionis modo, unam uni perpetuo conjungi, & num„ quam rescindi oporteret, docuit. Audi quomodo dicit: „ *Qui fecit à principio, masculum, & fœminam fecit eos.* Ex „ una radice germinarunt, & in unum corpus convene„ runt. *Erunt enim duo in carne una.*“ Hæc Chrysostomus. In quibus verbis id potissimum est advertendum, quod ait, Deum per illa verba jussisse, ut unus uni conjungatur. Et inde constat illum sentire per verba illa tradam esse legem de unitate uxoris. Chrysostomo concinit Theophylactus, qui in Commentariis super Matthæum prædicta Christi verba declarans, hæc ait: „ Ostendit „ opus & legislationem ejus, qui nos à principio forma„ vit, esse monogamiam. Ab initio enim unum conjuh„ xit Deus uni, atque ita non oportet unum virum con„ jungi multis, neque mulierem unam viris multis, sed „ eos sicut ab initio conjuncti fuerunt, manere, neque „ absque causa cohabitationem divellere. Non dixit au„ tem: Ego feci masculum, & fœminam, ne plus eos „ exasperet, sed his qui fecit, indefinite, atque ita dicit „ maximæ curæ fuisse Deo conjugii bonum. Unde per„ misit etiam parentes dimitti, & viris adhærere. Quo„ modo autem in Genesi scriptum est, Adam dixit: Prop„ terea deseret, ac cætera? Dicimus igitur, quod id quod „ Adam dixit, ex Deo dixit: atque ita sermo Adæ, Dei „ est. Hæc Theophylactus. In quibus verbis etiam annotare oportet, id quod in principio dixit, videlicet Christum suis verbis ostendisse, Deum qui nos à principio formavit, dedisse legem de monogamia. Et Innocentius Papa, hujus nominis tertius, interrogatus ab Episcopo Tiberiadensi, an pagani, postquam sunt ad fidem Christi conversi, possint retinere omnes uxores, quas in paganismo habebant, respondit illi per hæc verba. Verum absonum

hoc

hoc videtur, & inimicum fidei Christianæ, cum ab initio una cosia in unam fœminam sit conversa, & scriptura divina testetur, quod *propter hoc relinquet homo patrem & matrem, & adhærebit uxori suæ, & erunt duo in carne una.* Non dixit tres vel plures, sed duo. Nec dixit, adhærebit uxoribus, sed uxori. Et aliquibus interpositis, eamdem sententiam alio testimonio probat, sic inquiens: Sane veridica hæc sententia probatur etiam de testimonio veritatis testantis in Evangelio. *Quicumque dimiserit uxorem suam ob fornicationem, & aliam duxerit, mœchatur.* Si ergo uxore dimissa, duci alia de jure non potest, fortius & ipsa retenta. Per quod evidenter apparet pluralitatem in utroque sexu, cum non ad imparia judicentur, circa matrimonium reprobandum. Hæc Innocentius, & habentur in capite, Gaudemus, de divortiis. Sed hoc ultimum argumentum, quod ex testimonio Christi Innocentius formavit, Cajetanus ipse parvi momenti esse putat, propterea quod ille, ut in proxime sequenti hæresi dicemus, docet, virum qui uxorem adulteram dimisit, posse alteram ducere uxorem. Negat igitur Cajetanus antecedens illius argumentationis quam Innocentius formavit dicens: Si ergo uxore dimissa duci alia de jure non potest, fortius & ipsa retenta. Et ne quis suspicetur me falso tribuere Cajetano, quod ille nihili fecerit prædictum Innocentii argumentum, verba ejusdem Cajetani referam, quæ ille in commentariis super. 19. caput Matthæi dicit, & sunt quæ sequuntur. Adverte quod hinc Innocentius tertius extra de divortiis, capite Gaudemus, accipit quod non licet habere plures uxores. Nam si liceret habere plures uxores, qui dimissa fornicaria acciperet aliam, non mœcharetur, sed conjugio cum secunda uteretur, in textu autem dicitur quod mœchatur. Et nisi Marcus apposuisset in eam, scrupulo careret argumentum Innocentii. Hæc Cajetanus: In quibus verbis aperte docet argumentum Innocentii esse invalidum. Et in illis verbis, ut mihi videtur, apertissime ostendit Cajetanus se sentire, non esse lege divina prohibitum, duas simul habere uxores. Sunt adhuc alia scripturæ sacræ testimonia ad reprobandam pluralitatem uxorum, præter illa quæ Innocentius tertius in illo capite Gaudemus, citat. Nam illud est manifestum quod Paulus in priore ad Corinthios epistola cap. 7. ait: *Unusquisque suam uxorem habeat propter fornicationem, & unaquæque suum virum.* In quibus verbis duo annoranda sunt. Primum est, quod unicuique unam tantum concedit uxorem, non plures. Suam enim dixit, non suas. Alterum est quod dicit propriam uxorem, & proprium aut suum virum. Nihil autem potest vere esse proprium alicui, nisi illi singularem & nulli alteri communem in ea re habuerit possessionem, quia si multi illam possident, neutri erit propria. Et inde apertissime convincitur, ut si vir habeat plures uxores, nulla illarum proprium habeat virum. Paulus tamen dicit quod unaquæque suum habeat virum. Præterea Christus unam tantum habet sponsam, videlicet Ecclesiam: ergo nemini licet duas simul habere uxores. Collectio ista inde constat esse bona, quia matrimonium Sacramentum est, significans conjunctionem Christi cum Ecclesia, quod (ut credo) Cajetanus ipse non negabit, oportet igitur ut signum sit conforme signato, & sic necesse erit virum unam tantum habere uxorem, prout Christus unam habet sponsam, videlicet Ecclesiam. His omnibus bene consideratis non possum non mirari, quod Cajetanus ausus sit dicere, legem de unitate uxoris non esse in libris canonicis scriptam, cum Christus Salvator noster (prout verba illius Hieronymus, Chrysostomus, Theophylactus, & Innocentius interpretantur) apertissime docuerit, legem illam à principio conditionis humanæ datam à Deo fuisse, & in libro Genesis scriptam. Deinde, multo magis miror quod dicat, hanc esse omnium Theologorum sententiam. Numquid forte censet Hieronymum, Chrysostomum, Theophilactum, & Innocentium non fuisse Theologos? Si hos omnes extra Theologorum familiam relegare contendit, nescio quos verius possit appellare Theologos. Suspicor tamen illum nomine Theologorum solos scholasticos intellexisse. Sed quamvis de illis solis fuerit locutus, falsum erit quod dixit, illos asserere legem de unitate uxoris non esse in libris canonicis scriptam. Nam ut à primo illorum duce exordiar, Petrus Lombardus qui magistri sententiarum nomen obtinuit, in quarto libro Sententiarum, distinctione trigesima tertia apertissime docet pluralitatem uxorum esse lege divina prohibitam, & pro hac sententia citat illa verba Genesis: *Adhærebit homo uxori suæ, & erunt duo in carne una.* Sanctus Bonaventura in quarto sententiarum in eadem distinctione trigesima tertia, quæstione secunda, quærens, an sit contra legem naturæ quod unus habeat plures uxores, respondet per hæc verba: Si jus naturale dicatur quod in Lege & in Evangelio scribitur, sic jus naturale est quod sit una unius. *Et erunt*, inquit, *duo in carne una*, tam in veteri quam in novo testamento. Hæc ille. Idem prorsus asserit Richardus de media villa, in 4. sententiarum, eadem dist. 33. quæst. 1. Potuissem plures scholasticos Theologos pro hac sententia citare, sed prudens omitto causa prolixitatis vitandæ, quia hi satis sunt ad convincendum non esse verum quod Cajetanus ait, Theologos dicere legem de unitate uxoris non esse in libris canonicis scriptam. Quod autem beatus Thomas dixit, legem de unitate uxoris quamvis fuerit divinitus instituta, non tamen esse verbo aut litteris traditam, sed cordi impressam: credo illum propterea illud dixisse, quod talis lex non est aperta & manifesta verborum forma, prout legem decet in sacris litteris positam: quod verissimum esse credo. Numquam enim in sacris litteris habentur hæc propria aut alia tam aperta verba. Nullus vir possit habere plures uxores. Sed hæc sententia colligitur ex aliis sacræ scripturæ verbis. Ut autem aliquid vere dicatur lex, oportet aperte declarari & non sub involucris. Superest jam ut respondeamus argumentis quæ nobis objiciunt Anabaptistæ, ad probandum licitam esse pluralitatem uxorum. Objiciunt enim nobis exempla sanctorum Patrum quorum aliqui videlicet Abraham, & Jacob plures uxores habuerunt. Fatemur quidem viros illos, plures quam unam simul habuisse uxores, sed huic objectioni, optime respondet beatus Augustinus, nec ego aliud respondere decrevi, nisi id solum quod ille respondet in libro De bono conjugali capite 13. sic inquiens: „ Illis temporibus „ quum adhuc propheticis Sacramentis salutis nostræ „ mysterium velabatur, etiam qui ante nuptias tales erant, „ officio propagandi nuptias copulabant. Non victi libidi- „ dine, sed ducti pietate, quibus si optio talis daretur, „ qualis revelato novo testamento data est, dicente Do- „ mino, *Qui potest capere capiat*: non eos dubitat etiam „ susceptures fuisse, qui diligenter intentus legit quomo- „ do conjugibus utebantur, cum & plures habere uni vi- „ ro licebat: quas castius habebant, quam nunc unam qui- „ libet istorum, quibus videmus quid secundum veniam „ concedat Apostolus. Habebant enim eas in opere gene- „ randi, non in morbo desiderii, sicut gentes quæ ignorant

„ Deum.

„ Deum. " Hæc Augustinus. Et cap. 15. iterum apertius pro illis Patriarchis respondet, sic inquiens: Non est enim nunc propagandi necessitas quæ tunc fuerat, quando & parentibus conjugibus alias propter copiosiorem posteritatem superducere licebat, quod nunc certe non licet. Nam tantum affert opportunitatis ad aliquod juste agendum sive non agendum temporum secreta distinctio, ut nunc melius faciat, qui nec unam duxerit, nisi se continere non possit. Tunc autem etiam plures inculpabiliter ducebant, & qui se multo facilius continere possent, nisi aliud pietas illo tempore postularet. Hactenus Augustinus, qui aperte docet aliam valde diversam esse hoc tempore sub novo testamento matrimonii rationem, & longe aliam in tempore præterito quando vetus testamentum plenam habebat virtutem & efficaciam. Nam sicut pro varietate temporum statuta etiam humana variantur, ita Deus pro varietate temporum, varias condidit leges, & varias etiam ejusdem legis fecit dispensationes. *Ab initio enim mundi* (ut Salvator noster ait) *masculum & fœminam fecit eos Deus*, & matrimonium inter solos duos constituit, ut essent tantum duo, & non plures, in carne una. Et si illi primi parentes in justitia perseverassent, semper in toto temporis successu matrimonium inter duos tantum, prout à principio conditum erat, celebraretur. At cum postea hominum malitia adeo crevisset, ut fere omnes idolis servirent & falsos deos colerent, paucissimis in cultu Dei permanentibus, decrevit Deus viros servos suos pluribus fœminis per matrimonium copulare, ut cultores veri Dei multiplicarentur, & sic Angelorum ruinæ citius repararentur. Benigne igitur in hac dispensatione fecit Deus in bona voluntate sua cum humano genere, ut sic cito ex hominibus tamquam ex vivis lapidibus reædificaret muros cœlestis Hierusalem, qui peccantibus Angelis rupti fuerant. Innocentius tertius in illo cap. Gaudemus, De divortiis dicit illos sanctos Patriarchas plures accepisse uxores propter revelationem divinam de hoc illis factam.

Secundo nobis objiciunt Anabaptistæ, & posset etiam pro se objicere Cajetanus, id quod Augustinus in libro De virginibus ait. Antiquis justis non fuit peccatum, quod pluribus fœminis utebantur, nec contra naturam hoc faciebant, cum non lasciviendi causa, sed gignendi hoc facerent: nec contra morem, quia eo tempore ea fiebant, nec contra præceptum, quia nulla lege erat prohibitum. Hæc Augustinus. Ex quibus duo sunt quæ contra nos militare videntur. Primum est quod tunc fuit mos plures habendi uxores. Alterum est quod mos ille nulla erat lege prohibitus. Sed his duobus respondeo, prout Sanctus Bonaventura in loco proxime citato respondet, quod mos ille tunc erat non sola hominum, sed etiam Dei sententia & dispensatione approbatus. Quod autem Augustinus ait morem illum non fuisse lege aliqua prohibitum, S. Bonaventura interpretatur, de lege scripta. Et recte quidem interpretatur, quia ante legem Moysi fuerunt illi patres qui ex dispensatione plures simul habuerunt uxores, eo scilicet tempore, quo nulla erat scripta divina lex.

Tertio potest objici contra hanc nostram & Catholicam sententiam de unitate uxoris, quod in lege Mosaica fuit non solum aliquibus particularibus personis, sed omnibus concessum duas simul habere uxores. Nam Moyses in Deuteronomio cap. 21. dixit. *Si habuerit homo uxores duas, unam dilectam & alteram odiosam, genueritque ex eis liberos, & fuerit filius odiosæ primogenitus, voluerit que substantiam inter filios dividere, non poterit filium dilectæ facere primogenitum & præferre filio odiosæ, sed filium odio-sæ agnoscet primogenitum, dabitque ei de his quæ habuerit cuncta duplicia.* In quibus verbis lex apertissime præsupponit virum posse duas simul habere uxores: quia si hoc non esset homini concessum, lex nihil statuisset de filiis duarum uxorum: quia tunc altera earum non esset vera uxor. Huic argumento respondeo, quod si bene aspiciantur verba prædictæ legis, aperte cognoscitur nihil prorsus illam contra nos dicere. Non enim utitur lex illa verbo præsentis temporis, sic dicens: *Si habet homo uxores duas*: sed utitur verbo præteriti temporis, sic dicens: *Si habuerit homo uxores duas.* Ex quo verborum tenore solum colligitur posse hominem duas successive habere uxores, non tamen ambas simul. Concesserat quidem lex homini, ut posset dare libellum repudii uxori, quam habuisset exosam, & alteram ducere. Ne autem vir odium, quod contra priorem uxorem conceperat, derivaret etiam ad filium illius, ita ut illum primogenitura privaret, lex prædicta statuit primogenituram fore semper firmam penes filium prioris relictæ. Loquitur igitur lex de duabus uxoribus, quas successive vir habuit, non autem de duabus simul retentis: quia hoc numquam lex concessit.

Quinta hæresis est quæ docet nuptiarum fœdus & vinculum posse pro conjugum arbitrio dissolvi. Hujus hæresis auctor fuit Montanus, à quo orti Cataphryges, quamquam Augustinus de Cataphrygibus loquens, quo loco de hoc Montano differit, nihil tale illi impingit: nec Philaster hunc errorem tribuit Montano, sed Eusebius in libro quinto historiæ Ecclesiasticæ, capite decimooctavo refert Montanum ita sensisse. Hunc eumdem errorem tuentur Græci & Armeni, si Guidoni Carmelitæ credimus qui in suo libro de hæresibus, hunc inter illorum errores recenset. Eumdem errorem videtur docuisse Priscillianus, quoniam ad hunc sensum proprius accedunt quæ de illo refert beatus Augustinus in libro de hæresibus. Pseudoapostoli docuerunt viros, ut relictis uxoribus, & uxores relictis viris ad ipsorum sectam & ordinem transirent, dicentes conjugia posse dissolvi pro illorum secta suscipienda & tuenda. Ita enim de Pseudoapostolis scribit Nicolaus Eimerici. Guido tamen hujus erroris non meminit etiam cum Pseudoapostolorum errores recenset. Post istos omnes hoc nostro sæculo surrexerunt quidam suæ prudentiæ innitentes, & volentes sapere plusquam oportet, qui est non concedunt matrimonium pro conjugum arbitrio posse dissolvi, dicunt tamen propter adulterium vinculum matrimonii sic dissolvi, ut ex lege divina liberum sit viro innocenti illam prorsus relinquere, & aliam uxorem ducere. Hanc sententiam docet Erasmus Rotherodamus in annotationibus super novum testamentum in septimo capite prioris epistolæ ad Corinthios, ubi modum & limites annotationis excedens, satis prolixam facit de hac re disputationem, & dicit ex lege tantum humana & non divina, prohibitum esse viro innocenti, cujus uxor adulterium commisit, ne alteram possit ducere uxorem, quamvis possit adulteram à choro suo, & suo domicilio repellere. Dicit enim legem Evangelicam concedere hujusmodi viro liberam potestatem ducendi aliam uxorem, perinde ac repellendi adulteram. Deinde dicit duram nimis & iniquam esse legem humanam, quæ hanc potestatem ducendi aliam uxorem abstulit à viro innocente, & persuadere nititur ut talis lex prorsus abrogetur. Lutherus ex annotationibus Erasmi, ut ego suspicor, edoctus, hanc eamdem post Erasmum docuit sententiam. Et juxta illius doctrinam, audivi, multi in Germania uxores suas propter adul-

101. docuit. Deinde beatus Petrus apertissime hanc sententiam docet, sic inquiens: (1. *Petr.* 3.) *Adveniet autem dies Domini ut fur, in quo cœli magno impetu transient, elementa vero calore solventur, terra autem & quæ in ipsa sunt opera exurentur. Quum igitur hæc omnia dissolvenda sint, quales oportet nos esse in sanctis conversationibus & pietatibus, expectantes & properantes in adventum diei Domini per quem cœli ardentes solventur, & elementa ignis ardore tabescent? Novos enim cœlos & novam terram & promissa ipsius expectamus.* Hæc beatus Petrus Apostolus. Quæ illius verba tam aperte hanc hæresim oppugnant, ut non sit opus pluribus testimoniis ad illam revincendam. Verum aliqua indigent interpretatione hæc verba, præsertim ab eo loco ubi ait: *Cœli ardentes solventur.* Quæ verba non de illis cœlis, in quibus Sol & Luna & reliqua astra sunt fixa, qui á nobis remotissimi sunt, debent intelligi, sed de cœlo isto inferiori, quæ aeris regio dicitur, sunt accipienda. Nam de illis superioribus cœlis, an sint calore solvendi, Augustinus dubitat, qui super Psalmum 101. pertractans hæc beati Petri verba ita ait: „ Jam ergo dixit perisse cœ„ los per diluvium: perisse autem novimus cœlos secun„ dum quantitatem & spatia aeris hujus. Excrevit enim „ aqua, & totam istam capacitatem ubi aves volitant, „ occupavit: ac sic utique cœli perierunt propinqui terris: „ cœli secundum quod dicuntur aves cœli. Sunt autem „ & cœli cœlorum superiores in firmamento: sed utrum „ ipsi perituri sint igne, an hi soli cœli qui etiam diluvio „ perierunt, disceptatio est aliquanto securiosior inter „ doctos, nec facile (maxime in angustia temporis) ex„ plicari potest. Dimittamus ergo eam, vel differamus: „ noverimus tamen perire ista, Deum manere." Hactenus Augustinus. Juxta cujus sententiam constat cœlos pro aere sumi eo loco, quo beatus Petrus dixit: *Cœli ardentes solventur.* Quum tamen infra Petrus subjungit: Novos vero cœlos & novam terram & promissa ipsius expectamus: ibi cœlos pro illis etiam qui sursum sunt à nobis remotissimi, intelligere possumus, quoniam illi etiam juxta vaticinium Esaiæ mutabuntur in melius. Et erit, inquit ille cap. 30. *Lux Lunæ sicut lux Solis, & lux Solis erit septempliciter, sicut lux septem dierum, in die qua alligaverit Dominus vulnus populi sui, & percussuram plagæ sanaverit.* Et juxta hanc cœlorum significationem beatus Hieronymus interpretatur aliud Esaiæ vaticinium cap. 56. quo ait: *Ecce enim ego creo cœlos novos & terram novam: & non erunt in memoria priora.* Ex juxta eamdem significationem accipiendum est quod in Apocalypsi cap. 21. dicitur: *Vidi cœlum novum, & terram novam.* Nova omnia dicit, non quod alia sint, sed quia in melius omnia mutata: quemadmodum ex Hieronimi sententia supra docuimus. Et quidem pro hac re abunde me dixisse arbitror. Non enim opus est in re apertissima testimoniorum multitudine gravare lectorem, præsertim cum nullum hujus hæresis agnoscamus patronum, quem devincere oporteat.

FINIS LIBRI DECIMI.

F. ALFONSI DE CASTRO, ZAMOREN.

Minoritæ, adversus Hæreses.

IN LIBRUM UNDECIMUM.

PRÆFATIO.

HOC loco eadem lege oportebit nos uti, qua supra libro septimo usi sumus, quoniam hac littera N. adeo sterilis est ut viæ duæ sint dictiones ab illa initium sumentes, quæ talem rem significent, de qua aliqua sit hæresis orta: quapropter cum dictiones ab hac littera incipientes non sufficiant ad unum vel mediocris quantitatis librum absolvendum, conjungemus illis dictiones à sequenti littera incipientes.

F. ALFONSI DE CASTRO

ZAMOREN. MINORITÆ.

ADVERSUS HÆRESES.

LIBER UNDECIMUS.

NUDITAS.

QUIT hæresis quorumdam dicentium nuditatem esse bonam & honestam. Hunc errorem tenuerunt quidam dicti Adamiani, sic dicti, quia nuditatem, quam Adam in paradiso habuit ante peccatum, imitari volebant, & ita semper mares & fœminæ nudi obambulabant, nudi lectiones audiebant, nudi orabant, nudi celebrabant Sacramenta: & propter hoc suam Ecclesiam, hoc est, suam congregationem, appellabant paradysum.

Quis autem fuerit hujus hæresis primus auctor, & quo tempore cœperit apud neminem invenire potui.

Hi hæretici effrontes & inverecundi, etsi Adæ nuditatem in paradyso imitentur, illius tamen innocentiam non servant, immo peccatum illius augent, quoniam licet ante peccatum Adam & Eva fuissent nudi, post peccatum tamen, ut ait scriptura, (*Genes.* 3.) *fecerunt sibi perizomata*, & Deus fecit illis tunicas pelliceas. Et longo tempore postea statuit populo Israel quoddam genus vestimenti, per quod ab aliis nationibus distinguerentur. (*Deut.* 22.) Et Sacerdos ex Dei præcepto peculiare habebat vestimentum cum offerre debebat, & intrare in Sancta Sanctorum. (*Exod.* 39.) Demum, ipse veritatis magister, qui viam Dei in veritate docuit verbo & exemplo, vestimenta habuit, quorum unum fuit tunica inconsutilis desuper contexta per totum. (*Joan.* 19.)

NUPTIÆ.

PRima hæresis quæ de hac re orta est, docet nuptias esse illicitas, omnesque illos peccare dicunt, qui nuptiarum fœdera inter se jungunt. Hujus erroris primus auctor fuit Tatianus, á quo, ut supra diximus, Encratitæ originem sumpsere. Sed si vera sunt quæ catalogus hæreticorum de Heracleonitis refert, Heracleon illorum princeps erit primus hujus erroris inventor: quoniam Heracleon, qui discipulus fuit Valentini hæretici, vetustior est quam Tatianus, qui fuit (ut alias diximus) discipulus Justini martyris. Verum ut ingenue fatear, parum fido in hac parte illis quæ catalogus refert, quia Augustinus in libro de hæresibus, capite decimosexto de Heracleone loquens, nihil tale illi impingit, ut videlicet nuptias damnaverit. Et Philaster in suo libro de hæresibus hujus Heracleonis errores recensens, numquam hujus erroris meminit. Quapropter nisi aliud obstaret, ego crederem Tatianum fuisse hujus erroris primum auctorem, & ita solet communiter ab omnibus vocari hic error Encratitarum, quorum princeps fuit Tatianus. Verum beatus Hieronymus libro primo contra Jovinianum prope initium libri, testatur hunc fuisse errorem Marcionis, ita dicens: Neque vero nos Marcionis & Manichæi dogma sectantes nuptiis detrahimus. Hæc ille. Et ideo juxta Hieron. sententiam oportet ut hujus erroris principatum tribuamus Marcioni, cum hic fuerit Tatiano vetustior. Eumdem errorem mutati sunt Adamiani, dicentes, quod si Adam non peccasset, nullæ fuissent futuræ nuptiæ: quapropter illi Adam in paradiso imitari volentes, nuptias fugiunt. De fundamento, cui isti Adamiani innituntur, non est opus nunc disputare, quia supra libro secundo, sub titulo de Adam & Eva, hæresi tertia, hoc fundamentum fundius evertimus. In eodem errore fuerunt Aeriani, qui (ut Augustinus ex relatu aliorum refert) non admittunt ad communionem suam nisi continentes. De Priscillianistis refert Augustinus in libro de hæresibus, quod conjugia separaverint, & quibus hoc persuadere poterant, fœminas à nolentibus viris, & viros á nolentibus fœminis disjungebant. Quare autem hoc fecerint, an quia nuptias damnaverint, aut forte quia putaverint nuptiarum fœdera semel juncta posse ad alterius conjugis arbitrium rescindi, Augustinus non expressit. Hos hæreticos prævidens spiritu prophetico beatus Paulus, in prima ad Timotheum epistola cap. 4. sic de illis ait: *Spiritus autem manifeste dicit, quia in novissimis temporibus discedent quidam à fide, attendentes spiritibus erroris, & doctrinis dæmoniorum, in hypocrisi loquentium mendacium, & cauteriatam habentium suam conscientiam, prohibentium nubere.* Encratitæ ergo & alii prohibentes nubere, juxta Pauli censuram sunt dicendi mendaces, attendentes spiritibus erroris & doctrinis dæmoniorum. Præterea, si nuptiæ fuissent illicitæ, Christus non decorasset illas sua præsentia (*Joann.* 2.) At cum nuptiis Christus interfuerit, & in illis primum omnium signorum fecerit, convinciunt nuptias non esse illicitas. Rursum, si nuptiæ sunt malæ, oportebit fateri Deum esse malorum auctorem, quoniam Deus ipse est nuptiarum institutor, qui creatis primis hominibus, dixit: (*Genes.* 1.) *Crescite & multiplicamini, & replete terram.* Et ne hoc ad solum illum innocentiæ statum quis referre possit, Christus eamdem nuptiarum institutionem probat, qui Pharisæis quærentibus, an liceret dimittere uxorem propter aliquam causam, respondit, dicens: *Non legistis quia qui fecit hominem ab initio, masculum & fœminam fecit eos, & dixit: Propter hoc ergo relinquet homo patrem & matrem, & adhærebit uxori suæ, & erunt duo in carne una: itaque jam non sunt duo, sed una caro. Quod ergo Deus conjunxit, homo non separet.* (*Matth.* 19.) Quid ergo impii hæretici separare tentant quod Deus conjunxit? Et Paulus in priore epistola ad Corinthios ait cap. 7. *His autem qui matrimonio juncti sunt præcipio, non ego, sed Do-*

monium, & iterum repetere verba, quibus olim contraxerunt matrimonium. Ex quibus evidentissime convincitur vinculum prioris matrimonii non esse solutum per fornicationem: quia alias esset necessarium, ut novum inter se contraherent matrimonium, quum sibi invicem reconciliarentur. Et eodem modo convincitur Matthæum in cap. decimonono, esse interpretandum de sola dimissione, quoad thorum: qui si de dimissione quo ad vinculum fuisset ille locutus, superflue addidisset illa verba, *& aliam, duxerit* quia illa includuntur in verbo significante dimissionem. cum nullus perfectè ostendat se dimittere uxorem viventem, quoad vinculum, ut nunc proxime diximus, nisi quando aliam ducit. Et ex hoc facile retorquere possumus argumentum contra Catharinum, quod ille torserat contra Augustinum. Nam ut supra diximus, Catharinus, ut damnaret expositionem Augustini, objicit illi verborum superfluitatem, quæ esset in verbis Matthæi, juxta Augustini expositionem: sed certe multo apertior esset superfluitas in Mathæo, si ille juxta sententiam Catharini esset interpretandus de dimissione, quoad thorum, & quoad vinculum. Et re vera hoc vehementer urget, ut credamus Matthæum in illo loco de sola dimissione, quoad thorum, & non quoad vinculum fuisse locutum. Deinde is qui uxorem suam dimittit, & aliam ducit, de quo Matthæus capite decimonono locutus est, non censetur, quod faciat uxorem suam mœchari, sed solum quod ipse mœchetur. Ex qua sententia aperte, meo quidem judicio, convincitur, Matthæum in illo capite esse locutum de illo solo, qui propter causam fornicationis uxoris suæ illam dimisit, & aliam duxit. Nam si fuisse locutus de illo, qui absque fornicatione uxoris illam dimisit, & alteram duxit, prout verba illius loci juxta faciem litteræ sonare videntur, tunc de illo non solum diceretur, quod mœchatur: sed etiam quod facit uxorem suam mœchari, sicut in capite 5. dixerat de illo, qui absque fornicatione uxoris dimiserat illam, quamvis sic dimittens non superduxerat aliam. Cum ergo in cap. 19. dicat quod mœchatur, & non quod faciat uxorem mœchari convincitur inde, Matthæum in illo loco fuisse locutum de illo solo, qui propter fornicationem uxoris illam dimisit, & aliam duxit. Quia nullus alius est, qui propterea quod uxorem dimittit, & aliam ducit, merito censendus sit, quod mœchatur, & non quod faciat uxorem suam mœchari. Sed quia littera Matthæi in illo capite 19. videtur juxta faciem aliud dicere, & excipere ab illa sententia illum, qui propter causam fornicationis uxorem dimisit, ideo necessario fateri oportet litteram illam pati quamdam eclypsim, hoc est aliquorum verborum defectum, qui necessario supplendus est, ut verus litteræ sensus explicetur, sic dicendo: Quicumque dimiserit uxorem suam non ob aliam causam, nisi propter fornicationem, & aliam duxerit, mœchatur. Nec mirari debet aliquis propterea, quod dicam litteram hanc pati quamdam eclypsim: quia tales eclypses frequentes sunt in sacris litteris, non solum in veteri, sed etiam in novo testamento. Pro qua re cum plurima sint exempla unum & alterum solum volo nunc in medium proferre, ut sententiam istam duobus testimoniis comprobatam relinquam. Et primo profero illud quod Propheta Regius ait: (*Psalm. 74.*) *Nolite extollere in altum cornu vestrum, nolite loqui adversus Deum iniquitatem. Quia neque ab oriente, neque ab occidente, neque à desertis montibus.* Quo loco oportet supplere hæc verba, patet fuga, vel alia similia: quia alias manca, & sine ullo sensu maneret oratio. Quod autem illa verba, vel alia similia sint supplenda, constat ex iis quæ statim Propheta subdit, sic dicens: *Quoniam Deus judex est.* Voluit quippe Propheta significare peccatorem, nullibi posse esse tutum, propterea quod judex, qui illum judicaturus est, Deus est, qui ubique locorum est, & omnia intuetur. Alterum exemplum profero ex Paulo in epistola ad Galatas, (*cap. 4.*) ubi hæc ait: *Estote sicut ego, quia ego sicut vos.* In qua littera oportet supplere ista duo verba, sum, fui, ut sensus illius litteræ sit apertus, & per hunc modum declaratus. Estote sicut ego sum, qui sui sicut vos olim zelator Judaicarum cæremoniarum. Tertium adhuc volo proferre exemplum ex eodem Matthæo, de cujus littera nunc disputamus: ut cum ostendero illum alibi habuisse manifestum verborum defectum, persuadeam non esse mirandum si aliquid simile illi contigisse dicamus in illa littera, ex capite decimonono, de qua nunc contendimus. Nam enarrans Matthæus, quomodo Scribæ, & Pharisæi accusaverant apud Christum discipulos ejus, propterea quod non lavabant manus suas, quum panem manducabant, dicit Christum respondisse illis: (*Matth. 15.*) *Quare & vos transgredimini mandatum Dei, propter traditiones vestras? Nam Deus dixit:* (*Exod. 21.*) *Honora patrem, & matrem. Et, qui maledixerit patri, vel matri, morte moriatur. Vos autem dicitis: Quicumque dixerit patri, vel matri: Munus quodcumque est ex me, tibi proderit, & non honorificabit patrem suum, aut matrem suam.* Quæ littera, ut omnes sacri Doctores illius interpretes fatentur, est nimium defectuosa, & ideo oportet multa verba illa addere, ut sensus illius sit clarus, & intelligibilis. Et hoc aperte fatetur Erasmus ipse, contra quem nunc disputamus, in annotationibus suis super illum Matthæi locum. Et ideo in testamento novo, quod ille ex Græco in sermonem Latinum transtulit, multa verba in illo Matthæi loco addidit in translatione sua, quæ non sunt in vulgari translatione, neque in lingua Græca. Non est ergo mirandum, si ego dixero eumdem Matthæum in capite decimonono, habere alium similem verborum defectum, cui necessario subvenire oporteat, per aliquorum verborum additionem. Abulensis in illis copiosissimis Commentariis, quæ ædidit super Matthæum, quæstione 76. super decimumnonum caput Matthæi, dicit in illa littera esse multo plura addenda, quam illa quæ ego Paulo superius addidi. Nam ille, ut litteram illam, quæ sibi visa fuit manca, & obscura, clariorem redderet, sic illam disponit. Quicumque dimiserit uxorem suam, excepta fornicationis causa, etiam si aliam non ducat, mœchatur: & qui illam dimittens, quocumque modo dimittat, si aliam superduxerit, mœchatur. Sed re vera, hic litteræ ordo, mihi non placet, quia tot verba sunt addita in illa, ut litteram ipsam prorsus faciant alienam. Deinde littera illa non est ex omni parte vera, quia constat falsum esse, quod in prima illius parte positum est, ubi sic dicitur: Quicumque dimiserit uxorem suam, excepta causa fornicationis, etiam si aliam non ducat, mœchatur. Nam qui absque causa fornicationis uxorem suam dimittit, si tamen aliam non ducit, quamvis faciat uxorem suam mœchari, non tamen ipse mœchatur. Dico igitur in illis verbis Matthæi, ex capite decimonono, esse addenda hæc sola paucissima verba: Non ob aliam causam, quibus solis additis sensus litteræ erit clarissimus, & verissimus, & concordabit cum illis, quæ dicunt in eodem negotio Marcus, & Lucas. Ad hunc ergo modum oportebit litteram Matthæi disponere, ut ille sic dicat. Quicumque di-

dimiserit uxorem suam, non ob aliam causam, nisi propter fornicationem, & aliam duxerit, mœchatur. In qua serie litteræ adduntur hæc sola verba: non ob aliam causam, quibus additis fit sensus apertissimus. Et ex illo casu particulari, qui in istis verbis exprimitur de homine dimittente uxorem, propter fornicationem illius, apertissime colligit sententia generalis de omnibus, qui uxores suas dimittunt, & alias ducunt, prout Marcus, & Lucas illam, sine ulla limitatione, aut exceptione expresserunt. Nam, ut Dialectici docent, si id quod minus videtur inesse, inest: ergo id quod magis. Minor autem apparebat ratio, ut qui propter fornicationem uxoris illam dimitteret, & aliam duceret, censendus esset mœchari. Et ideo de illo solo, de quo aliqua poterat suboriri dubitatio, locutus est Matthæus in capite decimonono, ut inde omnes intelligerent de reliquis omnibus, qui absque causa fornicationis uxores dimittunt, & alias ducunt, multo justius idem ipsum esse dicendum. Nam in capite quinto, Matthæus dixerat de illo, qui propter fornicationem uxoris illam dimittit, sed non ducit aliam, quod non facit eam mœchari: quia etsi illa postea mœchetur, constat quod hoc non facit propterea, quod maritus dedit illi occasionem mœchandi dimittendo eam, cum apud maritum manens etiam mœchata fuerit. Et quia, ex hac sententia Matthæi quinto declarata, poterat oriri dubitatio de illo, qui propter fornicationem uxoris suæ dimiserat illam, an sicut est liber á culpa dimissionis, ita etiam sit liber ad ducendum aliam uxorem, ideo in capite decimonono, solum locutus est de hujusmodi sic dimittente uxorem suam, ut omnem tolleret de hac re dubitationem, & dixit juxta verum intellectum: *Quicumque dimiserit uxorem suam non ob aliam causam, nisi ob fornicationem, & aliam duxerit mœchatur.* Ex quibus omnibus constat Matthæum, Marcum, & Lucam esse in hac parte concordes, & omnes simul velut ex diametro pugnare, cum Erasmo, & Cajetano, & Catharino. Et huic meæ interpretationi favet Innocentius tertius, qui in cap. Gaudemus, De divortiis, in hunc modum citat illa verba Salvatoris. Quicumque dimiserit uxorem suam ob fornicationem, & aliam duxerit, mœchatur. Ex quorum verborum citatione constat, Innocentium per illa verba, nisi ob fornicationem, intellexisse solam fornicationis causam, & de illa sola Matthæum illo loco fuisse locutum.

Rursum, hæc sententia quæ docet matrimonium solvi quoad vinculum propter fornicationem uxoris, apertissime convincitur esse falsa, ex verbis Christi apud Matthæum, ubi postquam dixerit neminem, nisi ob causam fornicationis posse dimittere uxorem suam, statim adjecit hæc verba: (*Matth. 5.*) *Et qui dimissam duxerit, adulterat.* Et in alio loco quum loquitur de quæstione Phariseorum, iterum ait: (*Ibidem 9.*) *Et qui dimissam duxerit, mœchatur.* Et apud Lucam (*cap. 16.*) dicitur: *Qui dimissam á viro ducit, mœchatur.* Ex quibus verbis evidenter colligitur, adulteram uxorem á viro dimissam non posse alicui alteri viro nubere. Si uxor dimissa non potest alteri nubere: ergo nec vir illam dimittens, potest alteram ducere: quia si vinculum matrimonii solutum est per adulterium, oportet, ut sit ex utraque parte solutum. Nulla enim æqua ratio patitur, ut contractus aliquis inter duas personas initus, sit pro una parte ligatus, & pro alia solutus. Nam oportet, ut ambo sint ligati, aut ambo soluti, quoniam æquali lege ambo tenentur. Necessarium est ergo, ut si vir per adulterium uxoris, sit solutus á vinculo matrimonii, sit etiam uxor; aut si uxor non est soluta ab illo vinculo, nec etiam vir. Hoc argumentum præviderant Erasmus, & illius sectatores Cajetanus, & Catharinus: & ideo Erasmus, ut hoc argumentum evaderet, dixit hoc in pœnam adulterii datum esse uxori adulteræ, ut nubere non possit, postquam á viro dimissa est. Dicit itaque vinculum matrimonii esse solutum, ex utraque parte, sed soluto vinculo solum virum posse transire ad secundas nuptias, & non uxorem, in pœnam adulterii perpetrati. Sed hæc responsio non tollit vim argumenti, quia adhuc comprehenditur in astutia sua per verba Christi, quibus ait: *Et qui dimissam duxerit, adulteraret.* Non autem adulteraret, qui illam duceret, si illa non esset uxor alterius viri, præsertim si is qui illam duceret, esset alias ab omni vinculo matrimonii solutus. Nullus enim potest vere dici adulterium committere, etiam si cum muliere non sua coeat, nisi illa sit alterius viri uxor, aut ille maritus alterius uxoris. Peto igitur ab Erasmo, & illius sectatoribus Cajetano, & Catharino, an mulier illa à viro propter adulterium dimissa, & ab alio ducta, sit alterius viri uxor, an nullius. Si nullius est uxor: ergo qui illam ducit, si ipse non est alteri uxori vinculo matrimonii alligatus, non adulterat, cujus contrarium asserit Christus. Est ergo illa alicujus uxor: sed cujus? Non utique illius qui illam ducit: quia si sua esset, non diceretur adulterare ducendo illam, quæ est sua. Necessario igitur sequitur, ut mulier illa sit uxor illius á quo dimissa est: quia alias fieri nequit, ut is qui illam ducit, si est ab alio matrimonio liber, ducendo illam adulteret. Hoc argumentum adeo me convincit, ut ingenue fatear me nescire, quo pacto illi responderi possit. Deinde, ut magis hoc argumento ex littera Matthæi sumpto adversarios urgeamus, demus illis gratis, uxori adulteræ hoc datum esse in pœnam sui adulterii, ut à viro dimissa, non possit alteri nubere: sed quid dicit de uxore innocente, quæ propter adulterium viri discedit ab eo? Numquid isti hoc etiam datum est in pœnam, ut non possit alteri nubere? Absit, quia, ut Augustinus ait, numquam Deus est ultor, nisi prius aliquis sit peccator. Mulieri autem innocenti, quæ á viro propter illius culpam discessit, Paulus testatur (*1. Cor. 7.*) Dominum præcepisse, ut maneret innupta, aut viro suo reconciliaretur. Si uxor innocens quæ virum adulterum dimisit, non potest, vivente illo, alteri nubere: ergo neque vir castus, qui adulteram uxorem dimisit, poterit, illa vivente, alteram ducere: quia in rebus, quæ ad matrimonium spectant, pares semper esse censentur. Et certe hoc Pauli testimonium, ut ego existimo, aperte convincit adversarium, quamvis Catharinus dicat locum istum Pauli facillime posse dissolvi. Dicit enim illius litteræ sensum esse, quod mulier non debeat à viro discedere, videlicet absque causa fornicationis, maneat innupta. Sed hæc Catharini interpretatio torquet vehementer Pauli litteram, ut eam á vero illius sensu alienet. Nam quum Paulus dixit: *Si discesserit, Dominus præcepit manere innuptam*, de illo discessu loquebatur, quo illi licebat á viro discedere, qui est propter causam fornicationis. Quoniam si de alio recessu, qui est præter causam fornicationis loqueretur, non fuisset contentus dicere, quod illa maneret innupta, sed dixisset, quod faceret virum mœchari, prout Dominus dixit de viro, qui absque causa fornicationis dimittit uxorem, quod facit illam mœchari. Aliter ergo Erasmus illum Pauli locum interpretatur, dicens Paulum illo loco ponere in hac causa discrimen in-